ROMVLI AMASAEI
ORATIONVM VOLVMEN.

Impreſsit BONONIÆ Ioannes Rubrius.
MDLXIV.

ROMVLI AMASAEI ORATIONVM

INDEX.

PETRO DONATO CAESIO NARNIENSI EPISCOPO ET BONONIAE GVBERNATORI POMPILIVS AMASÆVS S. P. D.

AVDIVI *sæpius* PETRE DONATE CAESI, *Antistes Clarissime, atque huius multo amplissimæ Vrbis Gubernator iustissime ac uigilantissime, te iucunde admodum, ac summa cum animi uoluptate commemorantem celebritatem eam, qua Bononiense hoc gymnasium uel maxime florebat, quo tempore ipse liberalium disciplinarum, præcipue uero legum studiis operam dabas: cum & optumos, ac præstantissimos cuiusuis literarum generis interpretes, qui tunc in eo publice docendi munere fungebantur, Alciatum, Beroium, Curtium, Victorium, Buccaferreum, patrem etiam meum* ROMVLVM AMASÆVM *summopere collaudares: et in præsentia talem nobilissimæ iuuentutis, qualis tunc Bononiã ex diuersis Europæ regionibus animi ad cultum capiendum confluxerat, concursum exoptares. Ac tu quidem felicissimis* PII. IIII. PONT. MAX. *Optimi ac Sapientissimi auspiciis, De* CAROLI BORRHOMÆI *Cardinalis, et hactenus Bononiæ Legati, summa uirtute Principis autoritate ac sententia, non desinis omnem adhibere curam, & diligentiam, ut eam nobis illorum temporũ felicitatem repræsentes. Nam & seditionibus, quibus ornatissimus hic studiosorum iuuenum cœtus conflictari plerunq: cœperat, coercendis, ineunda ratione, ut ei omnia commodorum genera suppeditent, Optimis Doctoribus undecunque magnis propositis præmiis accersendis, Ciuibus, qui doctri-*

na, ingenio, nominis celebritate praestant, ornandis & honestandis, magnificentissima, & regali plane scholarum exaedificatione, quotidie noua pergis, propensissimi erga literatos homines animi documenta dare. Nec sane dubitandum est, quin hoc amplissimo Senatu omni ope, atq: animi alacritate, tam praeclaris consiliis, actionibusque tuis obsecundante, Disciplinarum uero Doctoribus Auditorum commodis, laudi suae, gloriaeque unà tuae sedulo, & enixe deseruientibus, in summa praesertim qua nunc fruimur, Italiae tranquillitate, annonae ubertate, coeli clementia & salubritate, istius honestissimi uoti sis perbreui compos futurus: Atq: ita, ut hoc totius Europae nobilissimum Gymnasium non solú pristina illa frequentia celebretur: sed modis etiam omnibus ipsius amplitudo, & decora adaugeantur. Ego uero cum caeteros loci, ordinisque mei homines tam laudabiliter, ac strenue munere suo fungi, tibique se acerrimos adiutores ad egregium hoc opus perficiendum praebere uiderem, mihi quoq: uiam tentandam esse duxi: qua praeter quotidianos labores meos in Graecis autoribus explicandis, extraordinario quopiam industriae genere, tum bonarum artium studiosis prodessem: tum hoc nomine abs te, cui summa omnia debeo: simulq: ab hoc de me, maioribusque meis optime merito Senatu gratiam aliquam inirem. Ex patris itaque mei lucubrationibus, quarum editionem consulto in hunc usque diem distuleram, selectarum quarundam orationum uolumen confeci: atque id in tuo potissimum nomine apparere uolui. Eas uero publicandi multis de causis, hoc ipso tempore mihi opportunam esse oblatam occasionem censui. Tum quod existimaturi sint homines, commode profecto ac perbelle cecidisse: ut cuius uiuentis opera in hoc publice docendi munere ciuitati, & usui, & decori fuisset, cuiusque dicendi artem tradentis facundia, & eruditio-

nis

nis ubertate, pronunciationis quoque uenuſtate, non parum te in adoleſcentiæ tuæ ſtudiis iuuari, delectarique ſolitum præ te fers: eiuſdem uitæ muneribus perfuncti quaſi reuiuiſcentes ingenii partus, te ciuitatis ipſius Præſide, Gymnaſii Patrono, tot commodorum quibus nunc ſcholaſtica hæc iuuentus fruitur, autore atq; auſpice in lucem prodirent. Sunt omnes quæ hoc uolumine continentur, orationes. XVIII. *Prima eſt de concordia ad* ADRIANVM .VI. PONT. MAX. *Secunda de pace, Bononiæ habita frequentiſſimo ſummorum Chriſtianæ Reipub. Principum conſeſſu, in Pontificio delubro, quod iam cura, iuſſuque tuo, Proſperi Fonteii præſtantiſſimi ætatis noſtræ artificis pictura exornatum, & undequaque perfectum & expolitum, inter magnificentiſſ. quæq; id genus opera merito recenſeri poſsit. Reliquæ ſunt ſexdecim, quibus autor partim ſe operamq; ſuam Auditoribus commendat: partim per quorundam communium ueluti locorum tractationem, ad ſequentes deinceps annuas commentationes aditum patefacere ſtudet. Harum cum in celeberrima quotannis tum ciuium, tum exterorum corona, ſolennibus ſtudiorum initiis aliquam haberet: minime contemnenda Latinæ eloquentiæ lumina, & exemplaria præferre uidebatur. Quæ certe ſimulq; meam in iis edendis operam, & curam ab eruditis nequaquam improbatum iri confido. Nam & argumenti uarietate, ac nouitate quadam legentes allicere, & Latini ſermonis copia & puritate, artis etiam præceptorum obſeruatione inſtruere, ac ditare poſſunt: Cum huius generis diſputationes, quas ad imitandú nobis quoties uſu uenerit, proponere debeamus, perpaucæ in ueterum libris reperiantur: Perſæpe uero contingat: ut iis qui in humanioribus hiſce literis uerſantur, eiuſmodi ſit argumento diſſerendum. Ad meam igitur erga te obſeruan-*

tiam

tiam declarandam pertinere putaui: ut quicquid huius disciplinæ studiosi, quod sibi utile sit, in eis depræhenderint: quod id à cliente tuo tibi gratificandi studio, cum eis communicatum fuerit: hoc omne tibi se debere intelligant. Ac librum quidem hunc speraui, eam in primis ob causam, quod à me Clarissimo nomini tuo dicatus in uulgus emitteretur, contra liuidorum uoculas, et morsus tutum, pro tectumque fore. Nec duxi amplitudini tuæ inconueniens munus, quod ex hominis perillustri familiæ tuæ summopere dum uixit, addicti, eiusdemque non minimam inter æquales suos eloquentiæ laudem adepti uigiliis depromptum, artis huius addiscendæ cupidis aliquid posset opis, atque adiumenti afferre. Quam etiam te artem in adolescentiæ tuæ studiis, unà cum ciuilis, Pontificiique iuris disciplina, sedulo tibi coniungendam putasse, uel id euidentissimo fuerit documento: quod superioris sæculi Iurisconsultorum facile principem Andream Alciatum, non minus elegantis, copiosæque orationis in legibus interpretandis laude, quam ipsius Iuris peritia excellentem, non solum ut præceptorem plurimi faciebas: sed etiam ut parentem uenerabare. Quam de doctissimis, itemque disertissimis hominibus præclare merendi uoluntatem cum perpetuo retinueris: dum Bononiensi Reip. præes, Angelo Papio alteri ætatis nostræ Alciato, singulari doctrina, eximia uitæ integritate, suauissimisque moribus homini, quotidie perspicua summæ in eum beneuolentiæ signa impertiris. Quantum uero in hoc pulcherrimo eloquentiæ studio, dum ei per ætatem operam nauare tibi licitum fuit, profeceris: publicæ iam actiones tuæ, resque in iis, quibus præfuisti prouinciis administrandis, abs te præclarissime felicissimeq: gestæ facile testantur: Cum & egregia quadam animorum pertractandorum peritia, et admirabili, ac ciuitatibus ipsis perutili, et

salutari

ſalutari dicendi artificio ea effeceris, quæ tot antea magiſtratus, & Præſules fruſtra tentarant: ut ferociores populos ſæuiſſimis ob mutuas ſuperiorum temporum iniurias, cædes, incendia, direptiones odus diſſidentes, non ſolum reconciliares, uerum etiam firma, ſtabilique amicitia, quin & affinitatibus præterea iungeres: Maximas cum priuatorum, tum publicas ciuitatum inter ſe lites, et controuerſias natura quodammodo inextricabiles, & quæ nullo pacto componi poſſe uidebantur: ſua utraque parte iura tuo unius arbitrio libenter permittente dirimeres, ac tranſigeres. In magna tritici caritate populos, quorum uberiores aliquanto prouentus fuerant: ut finitimis penuria laborantibus, æquo precio ſubuenirent, induceres. Eosdem in oppidis ſuis ſacra, profanaque loca ornatus, munitionis ue, aut ſalubritatis cauſa exædificandi, ad eiuſmodique uſus cum publicas, tum priuatas etiam pecunias conferendi cupiditate inflammares. Hæc nimirum omnia non aliunde, quam à grauis, prudentis, ornatæq; orationis facultate dimanarunt. Quæ ſane à maioribus tuis in te ueluti hæreditario iure peruenit. Audiui.n. ex com plurium fide digniſſimorum hominum ſermonib. proauum tuum PETRVM CÆSIVM *filiorum quinque ſumma uirtute præſtantium patrem, eundemque Græcis ac Latinis literis, omnibusq: liberalibus diſciplinis mirabiliter excultum, quod eloquentiæ laude cum admirabili iuris utriuſque cognitione coniuncta excelleret, per amplos in Romana Rep. honores adeptum fuiſſe: Camertum, Peruſii, Bononiæ, quo tempore ſumma erat eius magiſtratus autoritas, præturam geſſiſſe: cum eodem etiã honore Florentiæ ſecundiſſ. fama perfunctus eſſet. Ac eundem* SIXTO. IIII. PONT. MAX. *iterum urbis Senatorem è uita exceſſiſſe, tanto uniuerſæ ciuitati ſui deſiderio relicto, ut bonis omnibus id eff lagitantib. Optimus*

mus ille, incredibiliq; sapientia Princeps, ANDREAM *tanto pa tre dignissimum filium, statim in eius demortui locum sufficeret: Auum autem cuius nomen refers,* PETRVM DONATVM, *ut eundem et ipse in urbe magistratum gessit: sic omni uirtutum ge nere ingentem patris gloriam adæquasse.* ANGELVM *uero iti- dem* PETRI *filium incomparabili animi celsitudine, singulariq; magnis in rebus gerendis prudentia, & solertia uirum, tantam in- ter Romanos causarum Patronos autoritatem obtinuisse: ut cum suas ad eius patrocinium, potentissimi Europæ Reges causas defer- rent: luculentissimum patrimonium, amplissimosq; liberis honores reliquerit. Nam quid dicam de ipsius filio* PAVLO AEMILIO *S. R. E. Cardinale, uiro summa uirtute, doctrina, & uitæ integri tate? Audiebam dum apud eum uiuerem (in eius enim ut memi nisti, sanctissimæ disciplinæ aula magnam adolescentiæ meæ par- tem egi) tanta grauitate, prudentia, libertate, tam elegantis, poli- tæq; orationis filo, sententias in Sacrosanctorum Patrum Senatu dicere solitum: ut eæ ab audientib. tanquam oracula exciperentur. Eadem uero laude alterius huius Cardinalis* FEDERICI *Supe- rioris fratris, aliæ complures præclarissimæ animi dotes, maiorem in modum decorantur, & elucent. His ego rationibus, ut tibi meo, domus, fortunarumq; mearum patrono munus hoc offerrem, addu ctus sum. Te uero ut id libenter, hilariq; animo accipias, uehemen- ter etiam, atque etiam rogo: tibiq; ut persuadeas, etsi uitæ dignitate ac meritis, tot clientum tuorum, quorum certe hic, et in Vrbe, ac re- liqua Italia magnus est numerus, longe minimus infimusque sum, studio me tamen erga te, fide, atq; obseruantia nulli concedere. Vale. Bononiæ.* XV. KL. *Aprilis.* MDLXIV.

ROMVLI AMASAEI ORATIO
DE CONCORDIA.
AD ADRIANVM. VI. PONT. MAX.

SI VNQVAM in vllius Pont. Max. creatione à DEO precati ſunt Chriſtiani, vt ſacroſancto ampliſsimorum Patrum collegio eam mentem daret, vt eum conſenſu ſuffragiiſq; ſuis crearent, qui magnis cladibus afflictam CHRISTI Remp. excitaret, illud fuiſſe tempus ADRIANE Pont. Max. quo tibi tantarum rerum gubernacula commiſſa ſunt, exiſtimare debemus: in quo qui pure ac ſancte, veram pietatem & religionem colunt, nullis precationibus, nullis votis pepercerint. Nam cum hoc potiſsimum tempore, cum hoſtium acerbiſsimorum immanitate, tum grauiſsimis inter ipſos odiis, atq; inteſtinis diſcordiis Chriſtianorum vniuerſa res, non modo grauiter agitata laboraret, ſed prope perculſa, & in ſummum diſcrimen ac periculum adducta eſſet, non aliter malis miſeriiſq; noſtris ſubueniri poſſe videbatur: quam ſi DEO fauente nobis Pont. is daretur, cuius ſapientia & iuſtitia, non modo quæ iam lapſa eſſent erigerentur, ſed in priſtinam etiam formam ac ueterē dignitatem, quicquid

aut temporum iniquitate, aut hominum incuria depravatum comminutumq: fuisset, restitueretur. Sed profecto (quod ipso rei exitu patefactum est) ad vota precesq: pii & communis salutis studiosi homines nihilo se promptiores, quam ad eas CHRISTVS Opt. Max. pro incredibili in populum suũ clementia, faciliorem præstitit. Nam cum consentienti grauiss. hominum collegarum tuorum voluntate, tu Adriane, Pontifex maximus renũtiatus es, nullo mortalium fauore aut studio, sed ipsius DEI parentis nostri, & rerum omnium conditoris numine, fidei ac potestati tuæ summam Reip. commissam & creditam esse, res ipsa facile declarauit. Neq; enim alia vlla nisi diuina uis, uigente ambitu, multorum gratia & potentia præualente, incitatis propter partium studia animis, te præter communis tibi cum cæteris collegis honoris titulum, sola sanctitatis & sapientiæ fama notum, sola vitæ integritate hominibus commendatum, non modo nullius cuiusquam ope nitentem, aut studiis contendentem, sed absentem etiam, & ab omni huiuscemodi cogitatione alienum, ex vltimis terris accitum, in augustissima ista & celsiss. rerum humanarum sede potuit collocare. Quare merito, quam late Christianum nomen patet, neminem, tunc inueniri potuisse arbitror, qui faustissimum illum de creatione tua nuncium, tanquam diuinitus

missam vocem, non optimis sit ominibus prosecutus, qui non priuatis publicisq: rebus suis, sacris ac profanis saluti eum fore, in spem maximam, & quemadmodum confido, veriss. adductus fuerit. Atq: vt initio ea spes ex raro & propemodum admirabili creationis euentu orta est, ita breui (quod scilicet honoris & maiestatis accessione, summorum virorum virtus, & si non maior, at certe illustrior existit) clariore de excellentibus laudib. tuis fama, & veluti pleniore hominum voce se corroborauit, vt te iam cuncti diuinitus ad recreandam, tuendam, amplificandamq: Remp. Pontificem factum putarent. Atq: in hac hominum de te neq: varia, neq: obscura, sed constanti & illustri opinione, illud tamen molestiæ accidebat, quod te propius intueri, virtutesq: tuas, in quibus omnes spes suas sitas haberent, propius admirari quamprimum non liceret. Non enim si talem sibi, rebusq: suis vniuersis rectorem & conseruatorem deposcebant, iam consecuti, locorum tantis interuallis seiunctum non ardentissime desiderabant. Quo tempore neq: huic populi sui desiderio (o infinita summi DEI bonitas) CHRISTVS non adfuit. Ipse enim te (neq: aliter existimandum est) tam breui præter omnium opinionem ex Hispania in vrbẽ deduxit: ipse non sane desideriis, sed hominum spe multo celerius in tua te sede collocauit: In qua vix

dum consederas, cum inter absentes, quod quisque aut ex nunciis, aut ex suorum literis, ipsa deniq: fama cognouerant, ita ut nihil magis, in publicis aut priuatis sermonibus uirtutes tuæ ceptæ sunt celebrari, aliis æquitatem in omnes tuam, aliis humanitatem, aliis diligentiam, aliis religionem, aliis alia, omnibus omnia collaudantibus: Nullum esse iam in urbe gratiæ magis quam Iustitiæ locum: Apud te unius uirtutis & probitatis rationem haberi: Summis æque, mediis, ac infimis, eandem esse ad te aditus facilitatem: Tanto tibi esse quemlibet chariorem, quanto & meliorem se, & Christiana religione digniorem præstitisset: Quæ perculsa & prostrata iacebant, erecta: Legum seueritate multorum libidines ac licentiam compressam, rem diuinam sanctissime ac purissime coli: vrbem ipsam nunc demum sanctitatis domicilium, bonorum omnium portum, Christianorum aram te pontifice iure appellari posse. Hæc cum de te absentes prædicarent, tanta eadem admiratione præsentes intuebantur, ut iam cuncti mortales vna & eadem sententia, te diuinum hominem ad amplissimam istam DEI Diuorumq: sedem, maximis calamitatibus pressam & pene ruentem, restituendam & subleuandam è cœlo delapsum censerent. Præsertim uero cum non hos tantum suæ de te spei sibi fructus etiam in posterum præstitum iri, aut uirtutem

tuam

tuam his duntaxat finibus circunſcriptam fore confiderent: Sed de te quæ ab aliis non modo contendere aut poſtulare, ſed ne ſperare quidem aut optare auderent, ſibi prò magnitudine tua pollicerentur; Eoq: maxime, quod ea iam tot ſeculis mala in Rep. inualuerunt, vt diuina tantum ope (cuius aut vnum te, aut alium vnquam neminem, ſed te omnino compotem eſſe exiſtimant) leuari ſanariq: poſſe videantur. Quare proximæ ſuperiores actiones tuæ, quæ in aliis non tantum (vt ſunt) admirabiles, & prope diuinæ haberētur, ſed ad ſummam etiam & faſtigium profeciſſe videri poſſent, eorum in Repub. operum, quæ ciues tui, pro quodam ſuæ de te opinionis iure à te expetunt, initia veluti quædam & fundamenta putantur. Ac mihi quidem cum in præterita mala noſtra, tum in præſentia & vrgentia pericula intuenti, locum deinde quem obtines, & perſonam quam à CHRISTO acceptam ſuſtines, & poſtremo ſapientiam tuam conſideranti, non modo auxilium tuum differri amplius non poſſe, neq: vllam hac tibi antiquiorem curam eſſe oportere, videri ſolet: ſed ne in mentem quidem Adriane venire poteſt, quin te dies noctéſq: illud in animo verſare exiſtimem: qua tandem ratione, quoue conſilio Chriſtianæ Reip. Principes, à ſumma diſſenſione atq; odiis ad concordiã, & amicitiam traducas: efficiaſque vt ea, quæ in ſuam

ipſorum

ipſorum perniciem iam per tot annos arma tractãt, in communes & acerbiſsimos eoſdem veræ pietatis & religionis hoſtes, primo quoq: tempore conuerſa velint. Id enimuero abs te Chriſtiani omnes tanto liberius petunt, quanto ad hanc omnium præclariſsimam actionem, maiora tibi quam cuiquam ſuperiorum Pontificum, & firmiora præſidia adeſſe intelligunt. Neq: tantũ nunc de iis præſidiis loquor, quæ in te ſingularia omnes eſſe nouimus: prudentiã dico, animi magnitudinem, gratiam, auctoritatem: ſed nulli etiam aut copias maiores, aut firmius exercituum robur, aut paratiores & inſtructiores claſſes in promptu fuiſſe facile omnes vident. Quo fit, vt cum per multos annos complures Pont. Max. ſummam aliquando voluntatem præ ſe tulerint, facultatem duntaxat deſiderarint, & opum tenuitatem excuſarint: vnus tu, ſi quod vniuerſi homines dubitare non poſſunt, & dubitare nefas exiſtimãt, ſed ſi quod ne patiatur DEVS, non perfeceris, quod te omnino perfecturum confidimus, non facultatem tibi, non opes, ſed ne ſolam voluntatem defuiſſe confiteri cogamur, magnopere verendum ſit. In multis ex ſuperioribus Pontificibus Maximis, vt magnæ fuerint virtutes, certe quæ in omnibus omnes & plerunque mediocres fuerunt, in te ſummo ſplendore & excellentia eminent, & elucent. Cæteri eadem habuerũt

per

per manus tradita summæ maiestatis insignia: iusidẽ, potestatem eandem consecuti sunt: Nemo amplius quisquam tam diuinitus creatus, tãta hominum spe & opinione expectatus, exceptusq: est? Et nequid ad summas tibi opes & facultatem, qua labentibus rebus subuenires, deesset, nemini vnquam tanta, nõ dicam cum tenui & infimo rege, aut principe, sed cum eo qui proximus & coniunctissimus esse debuerit, fuit coniunctio, quantam tibi cum Cæsare maximi animi, & fortissimo adolescente, uno vero regũ omnium opibus, populorum multitudine, maritimis terrestribusq: copiis potentissimo, magnis vtrinque meritis confirmatam necessitudinem & beneuolentiam, DEVS ipse regum omnium supremus & clementissimus esse voluit. Quod quo planius cuncti homines vident, & cognoscunt, tanto tuam sibi opẽ sæpius & fidentius deposcunt. Quandoquidem ita natura comparatum est: vt quarum rerũ ne potiantur, à difficultatibus interdictum sibi homines intelligant, eas res non modo moderate expetant, sed differri etiam & omitti æquissimo animo patiantur: Quæ vero rei gerendæ magnam & promptam facultatem habere uideantur, ea non modo si negligantur, sed ne si temporis quidem punctum ad agendũ vllum prætermittatur, vt ferre velint, sibi in animũ inducere possint. Quod cum ita sit, quæ nullis vinculis

culis cohiberi poſſunt,ad aures tuas,deſideria ciuiũ, quin potius filiorum tuorum peruadẽtia, tuæ fuerit benignitatis & ſapientiæ pater omniũ maxime, ſumma humanitate & facilitate excipere,ac boni conſulere. Quod cum te factúrum omnino confiderem, ipſe ego, cui humiles ſane natales,rem propemodũ tenuem,fortuna,ſtudium & ardorem quendã amoris incredibilem in veram religionem,voluntas & iudicium dedit, ſpem vero præcipuam quandã & ſingularem de virtutibus in poſterum tuis, cum nominis tui fama,tum primæ actiones tuæ propoſuerunt, non deſiderium tantum tibi meũ exponere,ſed ſenſus etiam quodammodo meos & opinionem,literis ad te meis mandare non dubitaui. Sed cum ſtatuiſſem hoc tempore,flagranti publici boni ſtudio incenſus,non magis te adhortari,quã rogare, vt actionem de principum noſtrorũ concordia Reip. Chriſtianæ,quæ ſi vnquam à truculento & perfido hoſte, nunc grauiſsime oppugnatur, tuẽdæ cauſa,primam poſt hac tibi & omnium antiquiſsimam eſſe velles, illud veniebat in mentem vereri: non defuturos fortaſſe aliquos, qui me tanquam ineptum irriderent: quod ad te vnum ſapientiſsimum,atq; in rebus cunctis perſpiciendis ſolertiſsimum,ego de plebe vnus, ingenio & rerũ vſu per mediocri,inter tot magnos, & dignitate illuſtres viros, de maximis ad te rebus

ſcribere

ſcribere aggreſſus eſſem. Ego vero ſane neq; loci, neq; ordinis mei oblitus eram, verum ſi quid alienæ ſententiæ apud te loci eſſet, nõ, ſummorum tantum hominum opibus potentium, gloria atq; imperiis præſtantium, quorum plerunq; animus ira aut odio, aut cupiditate præpeditus, non modo quid verum & æquum ſit, non perſpicit, ſed ſæpe etiam per errorem, ea quæ à rationibus ſuis aliena ſunt, appetit: ſed tenuiorum etiam hominum, dummodo rectorum, ſtudia te & voluntates ſpectaturum putaui. Interſit enim inter dignitatem ſummorum atq; infimorum: ſenſibus vero & voluntatibus vtrorunq; is quem CHRISTI gens communem omnium patrem & habet, & appellat, facilẽ æqualiter ſe præbeat oportet. Ineptum vero non modo me, ſed communis etiam ſenſus expertem merito haberi poſſe ducerem, ſi ea me ſcribere poſſe putare viſus eſſem, quæ ne dum tu, aut familiares pleriq; tui maximo rerum vſu & grauitate viri, ſed vniuerſa chriſtiana plebs non ſæpiſsime cogitaret. A qua quidem, dum hæc meditabar, arrogantia tam longe aberam, vt orationem hãc meam ita demum aliquid valituram exiſtimarem, ſi neq; à ſenſu tuo abhorruiſſet, neq; aliud, quam quod vulgo etiam ab omnibus maxime expeti, mihi & exploratum & perſuaſum eſſet, explicaſſem. Nempe quod ingenii laudem appetentibus noua & admira-

bilia, fidem vero quærentibus, neq: aliena neque diuersa ab hominum sensibus, & iudiciis semper proposita esse debent. Neq: vero tibi quidquam persuadere institui, sed posse omnino quodammodo cogitationum tuarũ cursum incitari existimaui, si quod animo ipse agitares, id ex aliorum etiam sententia depromptum agnosceres. Dari vero à me tibi consiliũ nullo certe modo posse putaui, nõ magis hercle, quam qui sana sunt mente sæpe adorando, precando, supplicando, sancitis etiam religione nostra carminibus, DEVM qui vnus omnia nouit, docere potius quid faciat, quam quid ipsi exposcant, orare se iudicent. Quod si DEVM ipsum & credimus, & rerum euẽtis, puris & veris hominũ precibus flecti uidemus, certe apud te, qui ei vicarius succesisti, supplicem & uotiuam tum alterius cuiusuis, tum & meam orationem aliquid profecturam dubitare nõ potui. Non eram etiam nescius, multis quæ à me scriberentur, ipso genere uetera, & ab aliis toties disputata uideri posse, cum & de concordia, & de barbaris bello vindicandis multæ à multis, & habitæ & scriptæ orationes circunferrentur: idem autem in ore omnium esse, neque quidquam in omnibus etiam circulis, & forensibus coronis sæpius iactari: Id enim uero ego à me futurum magnopere putaui: cum tibi illud indignissimum visum iri arbitrarer, quæ homi-

hominum consensu, & vna veluti voce iam per tot annos expeterentur, quæq: ex rep. esse omnes confiterentur, paucorum culpa aut differri, aut omitti. Animaduertebam præterea nonnullos & doctrina & eloquentia præstantes homines, grauiter & ornate de hoc genere ad principes quosdam scriptas orationes misisse, aut sæpe etiam pro concione copiose & subtiliter diseruisse: ex iis vero neminem apud te (quod sciam) huiusmodi aliquid perpetua oratione tractasse, eo cogitationibus ac sensibus tuis accommodatiore futura, quanto tu cæteros pietate, fide, & in sanctissimam religionem nostram amore antecellis, apud quem hanc simplicem & nudam orationem meam, à voluntate tamen tua nihil alienam, plus pōderis, quam apparatam & ornatam aliorum, apud homines ab hac cogitatione plerumque auersissimos habituram speraui. Illud uero me (ut omnis ab oratione mea absit dissimulatio) non modo conturbasset, sed à proposito etiam prorsus deteruisset, si ita à me acceptum esset, ut ab imperitis (ita enim existimandum) iactatum sæpe est: qui quarum ipsi (vt opinor) rerum facultatem non tenerēt, eas ne tibi quidem placere commentitiis sermonibus in vulgus dispersis, populo persuadere conati sunt: ita demum inscientiam suam se defendere posse rati, si eam auctoritate tua communissent. Quæ ad

 te scri-

te ſcriptæ afferrentur orationes, eas te non modo, quas legeres, dignas non putare, ſed reiicere etiam & contemnere ſolitum: Quaſi uero cum adeuntibus ad te, æqualiter omnibus ſumma eſſet aditus facilitas, ea ſcribentibus (ſi quo caſu, quominus ad te accedere poſſent, impedirentur) negata interclusaq; eſſet. Eſt uero credibile, te qui tam benigne, tam attente, tam denique patienter vnumquenque quam velit diu, dicentem audias, libellorum, & literarum, quæ ut lingua animi, ita ipſæ linguæ interpretes & internuntiæ ſunt, nullam rationem habere: Nam latinas literas te non admittere, quod ſcilicet latinæ ſint (Nam & id qui dictitarent non defuerunt) cuinam probari poſsit, te uirum in omni literarum genere prudentiſsimum, eas literas non dicam repudiare, ſed non amare, non colere, non maximi facere, quibus religionis Chriſtianæ pars maxima credita & commendata ſit? quibus præcepta, quibus inſtituta, quibus myſteria, & initia, veritatis & pietatis Chriſtianæ per tot ſecula, à tot iniuriis vindicata, à tot inſidiis defenſa, cuſtodita cõſeruataq; fuerint? An non tot ante te Pontifices, tot religionis Antiſtites, qui ſumma ſanctitate & grauitate, diuino iuri, cuius te ſtudiis à puero dedidiſti, præfuerunt, atque ipſi in primis. IIII. illi, quos fidei doctores agnoſcimus, non latine modo, ſed accurate etiam & elegan-

ter ſcripſerunt? Sed quid ego aut vetera, aut aliena commemoro? non ipſe tu autor omnium maximus, ipſius diuini iuris profundiſsima ſenſa plurimis & pulcherrimis latine ſcriptis libris, excoluiſti diuinitus, & illuſtraſti? Et qua tandem ad te homines lingua ſcribent, ſi non ea quæ tibi omnium familiariſs. eſt? cum non tantum ſummorum ſacerdotum cinctus corona, è ſuperiore loco, de rebus maximis ad ampliſsimum ordinem latine referas, & grauiſsimi illi patres tradito à maioribus more, latine ſententias dicant: ſed latina etiam ferme omnes te alloquantur, & latina tu omnibus voce reſpondeas. Ego quidem nũquam adduci potero, vt credam, vt cum omnium ſermones auſcultandos putes, ſcripta etiam nõ humaniſsime accipias: & ſi quid temporis à tantarum rerum cura interdum ſuperſit, non iis legendis partem eius aliquã tribuas. Quod ſi hæc ſcribendi venia à te præſentibus plerunq: datur, qui coram ad pedes tuos rite procumbentes, cõmuni cum cæteris, tui cõueniẽdi facultate frui poſsint, mihi eo iuſtius nõ negabitur: Quod & locorũ interuallis, & certis & honeſtis cõditionis meæ rationibus, haud ſcio an vnquã, (quod tamẽ ardentiſsime cupio) tui adorãdi vel tempus, vel caſus aliquis mihi ſit copiã facturus. Præſertim vero cum nullam aut facundiæ laudem, aut ingenii gloriam, quibus me rebus carere facile patior, & hæc appetentibus æquiſsimo

animo

animo concedo, ex hac oratione mea quæram: ſed immenſo ſacroſanctæ religionis ſtudio,& amore incitatus, ſententiam tibi meam ſtudeam explicare. Quare vt ad ea, quorum cauſa hæc mihi oratio ſuſcepta eſt, aliquando intrepide veniam. Si neq: tenuitas & obſcuritas mea, neq: ſapientiæ ac ſolertiæ tuæ magnitudo quidquam officit, quo minus à te, vt a DEO ſolemus, ſupplices quæ voto nuncupauimus, expoſcamus, neq: quod eadem & multitudinis ſermonibus tam ſæpe vſurpentur, & a præſtantibus ingenio viris fuerint aliquoties diſputata, mea apud te oratio minus ſit ponderis habitura, ac ſi non præſentis cuiuſquam orationi,quam abſentium ſcriptis aures tuæ æquiores ſunt, ſermone vero ſi nō alio quam latino tecum agere debuimus, reliquum eſt,vt ea breuiter quæ me ad hanc orationem impulerunt, exponam. Atq: vt ab imminenti vniuerſis Chriſtianis periculo exordiar: Bellum nobis atrox & crudele a Turcis infertur.Qui cum centeſimo ab hinc anno,ex Aſia, cuius quotam partem, ſcelere & latrociniis, è Scythiæ ſolitudinibus effuſi occuparant, in Europam traieciſſent,obſeruatis ſeditionum noſtrarum tēporibus, primo Triballos ac Myſiam, neq: ita multis poſt annis Byzantium, mox Trapezuntem,auguſtiſsimas imperii noſtri ſedes expugnarunt: ipſisq: Imperatoribus cæſis,Chriſtianorum ingenti

genti per miserabiles cruciatus, & dira ac noua cædium genera, in ipsis religione sanctissimorum templorum adytis, & Diuorum aris strage edita, Pontum, Thraciam, Macedoniam, Epirum, Peloponnesum, Græciam vniuersam præter insulas paucas, ad hæc Dalmatiæ vtiq: magnam partem, non maximo negotio imperio suo adiecerunt. Deinde vero cum longa & acri oppugnatione Chalcidem in Eubœa cœpissent, nullum immanitatis aut sæuitiæ genus, quod efferatæ sanguine nostro belluæ in ciues nostros non ediderint, fingi aut excogitari potest. Inde ex ipsa impunitate ad nouas iniurias alacriores & audaciores facti, nō tantum finibus suis vicina loca, sed Italiam etiam ipsam, discordias & inimicitias inter se eorum, qui vlcisci eos potuissent, speculantes, modo per Noricos & Illyricum in Iapides, Carnos, & Iulienses, fere ad Euganeos vsq: excursionibus factis, modo Apuliæ oram cum actuariis nauibus ex insidiis adorti, atq: in ea Hydrunte etiam capta, omnia populationibus infesta reddiderunt: rapinis, incendiis, cædibus sacra omnia & profana fœdarunt. Inde præda ingenti, vt par fuit, ex fertilissimis regionibus onusti, iam ter maximum etiam hominum numerum impune abegerunt. Cum interea cæteris tanquam è longinqua quadam specula incendium spectantibus, soli Pannonii ac Veneti, quorum agri & oppida

oppida hoſtibus finitima agebantur. Dicam enim non laudandi cauſa, ſed vt res ſe habuit, apertiſſime, illi terreſtribus & plerunq: ſubitis, quod ſolum poterant, cum fugaciſſimo hoſte congreſſibus, hi & terreſtribus, & naualibus prælijs, vario euentu cum illis belli fortunam experti ſunt. Poſtremo vero vt ad ea quæ præſentibus malis adiunctiora ſunt, veniam, cum Barbari id vnum ad opprimendam Europam impedimento ſibi eſſe cognoſcerēt, quod finitimorum in Aſia regum bellis, ab expeditionibus in Chriſtianos ſuſceptis, ſæpiſſime reuocabātur, omnes opes & vires ſuas ad Aſiaticum bellum conuerterunt. Quo tempore per ſummū ab Europa ociū, dum inter ſe ciuilibus armis Chriſtiani decertarent, commodiſſima vſi fortuna, multis eiuſdem ſuperſtitionis populis bello ſuperatis, potentiſſimo & opulētisſimo Syriæ & Aegypti rege obtrūcato, Hieroſolymis, vbi illa ſunt ſalutis noſtræ ſanctiſſima monimenta, in poteſtatem redactis, incredibili celeritate Aſiam vniuerſam ad Arabicum vſq: ſinum, Aegyptum & magnam Africæ partem ſubegerūt: Atq: ita Aſiatico metu & ſolicitudine liberati, regem vero poſtea immaniſſimum & elatiſſimi animi iuuenem, vnumq: dominandi cupidiſſimum nacti, opibus vero immenſis aucti, ad intermiſſam expeditionem redierunt. Ac primo quidem impetu in Panoniam

per

per Myſiam facto, Taurunum oppidum ſitu & natura loci munitisſimum, quo vno, veluti repagulis quibuſdã ſuperioris Pannoniæ & Germaniæ, aditu ſe prohiberi ſemper exiſtimarant, omni ope expugnatum capiunt: Atq; ita patefactum ſibi ab ea parte aditum relinquentes, in Rhodum, quæ ciuitas iam. CC. amplius annos, firmisſimum & fidelisſimum fuit aduerſus omnem maritimum barbarorum impetũ Chriſtianis propugnaculum, furorem rabiemq: ſuam cõuerterunt: Ex literis cotidie & nunciis vicinarum inſularũ affertur, tanta nunc eam vi, tantiſq: omnium rerum opibus oppugnari: vt ciues fortisſimi omnium & tolerantisſimi viri, propter obſidionis diuturnitatem, tanq: acres & asſiduas hoſtis impresſiones fatigati & affecti, ſumma commeatuum penuria circũuenti, reliqua omni ſpe deſtituti, ſola ſe in Devm ſuum verum & vnicum, quem ſemper ſanctisſime & purisſime coluerunt pietate, cum fruſtra a Chriſtianis iam multis menſibus auxilia expectarint, tueãtur. Quid primum doleam, aut indigner? quam noſtrarum calamitatum prius vindicandam dicam? cui potisſimum laborantis Reipublicæ parti, aut à Deo aut à te Adriane Pont. Max. qui vnus maximam à Deo poteſtatem habes, auxilium implorem? Duo Imperii noſtri domicilia vi nefaria occupata, tot claræ Vrbes, Tot nobiles pro-

C uinciæ,

uinciæ, ſanctitatis & religionis ſedes nobis ereptæ, tot populi, aut fœdiſsimis cædibus lacerati, aut in morte ipſa miſerabiliorem ſeruitutem redacti: Italia in qua primus ille CHRISTI legatus templi ſui fundamenta iecit, ferro & flammis acerbiſsimi hoſtis appetita: oppidum Pannoniæ munitiſsimum, oppidum illud, quo vno veluti clypeo obiecto, maximæ & florentiſs. gentes barbarorum gladios à iugulis, à ceruicibus ſuis repellebant, iam in hoſtiũ eſt poteſtate. Quid ab his tot cladibus mali abeſſe poteſt? Sed has iniurias vel grauioribus aliis, ii quorum crudelitas ſanguine noſtro expleri non poteſt, accumularunt: Ciuitatẽ quæ vltro citroq;, aut viſendi, aut negociãdi, aut ſoluẽdi voti cauſa, nauigantibus Chriſtianis iam per tot ſæcula tutiſsimus & optatisſimus portus fuit, de noſtrorũ equitũ hominũ honeſtisſimorũ, quorum in ea inſula antiquitus pulcherrimus ordo inſtitutus eſt, manibus extorquere, ipſos fœdiſsimis cruciatibus dedere conantur. Non præterita credo mala vltionem, non præſens periculum ſubſidium, vel tacentibus omnibus poſtulat? & adhuc principes noſtri, quaſi vero deſint qui ſanguinem noſtrum abſorbeant, armis inter ſe dimicãt. Cauſa quæ ſit Adriane vides; nunc attente quæſo, bonaq; cum venia reliquas orationis meæ partes legas. Primum omnium, ut Rhodiis qui in præſentia

extremo

extremo circunuenti ſunt periculo, primo quoque tempore,& vndecunq: contractum ſubſidium mittendum,ſi modo non ita obſeſsi ſunt,vt illud ex aliqua parte recipere poſsint: ita non prius bellum in hoſtem mouendum puto,quam ad amicitiam & ſocietatem principes Chriſtianæ reip.reducti fuerint. Nam ut Rhodiorum res cunctationem pati non poteſt, ita quidquid his inter ſe diſsidentibus attentatum fuerit,non modo tenue & imbecillum contra tantam hoſtis potentiam, ſed inſtabile etiam ad diuturnitatem fore exiſtimare debemus.Vt enim in corpore aliqua membrorum parte ægra, reliqua non modo auxilio aliorum carentia, ſunt ad omnem niſum debiliora,ſed celerrime etiam labore franguntur & fatigantur,ſic propemodum populi parte aliqua diſcordia laborãte,nihil aut firmum, aut perpetuum,quæ ſana fuerit & integra,quãtum in ipſa eſt, præſtare poterit: Niſi forte non ita ut morbis corpora,animos diſcordia corrumpi atque affici exiſtimemus. At certe ciuiles diſcordias, inteſtinos morbos appellare conſueuimus:Sunt igitur illæ nõ modo animorum ægritudines,ſed ex eo etiam morborũ genere,qui quod in ipſis intimis & uitalibus partibus hæſerunt,niſi quam celerrime & quam accuratiſsime curentur, certiſsimam tabem & perniciem afferunt.Neq: uero nunc quanto animorum in rep.

consensus dissēsioni præstet, vlla disputatione vt do ceam, insequor, est enim adeo perspicua concordiæ vtilitas, vt nullius cuiusquā oratione magis illustrari possit. Nam cum nihil fere omnium sit, de quo inter se homines non sæpissime dissentiant, certe concordiam maximum esse & præstantissimum bonum, omnes confitentur. Atq: adeo, vt cum priuatim singuli incitatis veluti furore animis, ad ciuilia arma rapiantur, si in vnum omnes positis armis conuenerint, ad rerum summam tuendam nihil accomodatius, nihil aptius cōcordia, vna omnes voce cōsentiant. Quod igitur hominum consensu comprobatur, id ego in dubium non reuocarim. Illud dico, ægras & vitiosas reip. partes, tua sapientia & diligentia corrigēdas ac sanandas: Non posse prius externum hostem vinci, quam domestici, qui illi plurimum opitulantur, seditio inquam & discordia victi debellatiq: fuerint. Tunc enim demum, & valentem & stabilem in vlciscendis & repellendis mutuo nisu & auxilio hostis iniuriis, remp. futuram sperare poterimus: cū discordiæ nubibus ingenii & consilii tui lumine discussis, Christianis vniuersis concordiæ serenitas affulserit. Ac concordiæ quidem dum omnes animo rationes persequor, primas huius tam præclari operis partes tuas esse, alteras ad summos reip. principes pertinere facile colligo. Neque enim magis tuum

in hac

in hac cura ſuſcipienda officium, in negotio conficiendo ſtudium, induſtriam, diligentiam, quam eorum ad cognoſcendum æquitatem, tibi iuſta & honeſta publici boni & vtilitatis cauſa proponenti, ad parendum facilitatem expetimus. Sed illos quorum vti video ab hac cogitatione animus alienior eſt, in præſentia miſſos facio: Tecum vno mihi nunc Adriane ſermo eſt. Ac primum quidem voluntatem tuam reip. te præſtiturum confidimus: Debere id vero te, & maiorem quam quiſquam antea, huius rei facultatem habere ſcimus omnes: Nullo autem tempore, propter maxima, quæ nunc imminent omnibus Chriſtianæ reip. partibus pericula, maiore quẽ quam ad hanc actionem neceſsitate incitari potuiſſe, quotidianis & grauisſimis, quas a Barbaris accipimus iniuriis, facile docemur. Et ſane voluntatis tuæ non dubia, aut infirma habemus argumenta. Nam cum duplicis auxilii CHRISTI res indigeret, quod & reformari.s.eam emendariq: oporteret, & ab hoſtis terrore liberari: Tu breui & quæ neglecta iacebant, excitaſti, & quæ per diuturnam licentiam & impunitatem violata fuerant, vindicaſti: Fidem & religionem intermiſſam reuocaſti: Mores deprauatos correxiſti: Petulantiam ac libidinem cohercuiſti: veterem diſciplinam, quæ diſſoluta ac dilapſa multorũ indulgentia fluxerat, ſeueritate legũ ac iudiciorum

reuin-

reuinxisti; totius deniq: Romanæ Ciuitatis statum, atq; id iniquissimo, serpente in dies latius pestilētia, vrbis tēpore reformasti,& in eo corrigendo & confirmando tantum vigilantiæ, curæ,laboris posuisti, vt vnus id tribus,aut quatuor ad summum mensibus perfeceris, quod complures ante Pontifices cum nihil impediret, vix conati quidem sunt. Hanc te tam præclaram,tam optatam operam, tam mature, tam etiam celeriter reip.nauasse, vt reliquo tēpore ociosus, quantum in te est & securus, ad huc grauissime laboranti reip.opem ferre negligeres? Nō sinet profecto DEVS, non sinet sæpius spectata & probata virtus tua,in maximis quæ restāt rebus, voluntatem, animi magnitudinem,fortitudinem,auctoritatemq: tuam diutius desiderari. Cui non sunt auditæ primæ illæ voces tuæ, quibus primum designationis tuæ nuncium accepisti?certe illæ huc ex tam longinquis terrarum partibus renunciatæ, in hominum memoria permanent, & in peruagato populi sermone versantur. Quod nec cogitanti, nec opinanti tibi euenisset, grato animo accipere, & diuinitus datum interpretari:Pontificatum vero hunc te non tibi,cui si ad propria omnia essent commoda referenda, ad animi tranquillitatem & securitatem, ad corporis etiam quietem, prioris vitæ conditio multo fuisset præstabilior,gloriam vero te neq: vnquam expetisse

neq:

neq: si maxime expetisses, ea quam ex rebus gestis tuis consecutus esses, contentum esse non posse: Sed hunc te honorem honorum omnium maximum CHRISTI reip. gesturum: quam cum vitiatam & corruptam licentia, censura seueriore (id enim non leuibus.s. de causis praeuertendum putabas) reformasses, legum partim veterum, partim tuarum praesidiis confirmasses, omnem deinceps cogitationem, curam & industriam, ad Christianorum principum reconciliationem tralaturum. Non est opinor haec vox tua, satis certa animi tui index? Quis enim addu ci possit, tanta grauitate virum, posse id, quod in ani mo non insitum & conceptum habeat, lingua profiteri & nūcupare, praesertim vero, cum alteram iam operis partem plane perfectam videamus? An illud te opus inchoasse credamus, quod pro virili tua expoliturus non fueris? tam breui maxima fundamēta tam praeclari operis iacturum te fuisse, si non fastigiū etiam quamprimum additum cuperes? Ego profecto aliud quiduis facilius crediderim: qui ex firmissima quadam de voluntate tua opinione, priusquam hae meae ad manus tuas perueniant literae, totam a te rem cōfectum iri praesagiam: Quod si (vt spero) eue nerit, non modo serius hoc argumēto ad te scripsisse, aegre non patiar: sed spei etiā meae me & voti com potem fuisse, incredibili quadam laetitia afficiar: verum

rum de voluntate tua eo mihi agendum putaui: vt intelligeres, neq: me ad id quod nolles, te adhortari ausurum vnquam fuisse, & quod maxime velles, vt quam celerrime capesseres, vel mea hac adhortatione posse non difficillime adduci putasse. Debere vero te non ideo nunc disputo, quod etiam si maxime non debeas, pro tua tamen virtute, & rei honestate facturum te quod vniuersis Christianis maxime salutare futurum sit, non existimem. Sed certe ad voluntatis tuæ ardorem hac officii cura accedente, magis etiam accendi inflammariq: posse putaui. Neque enim dissimilis est, officii & pecuniæ liberalitas: Pecuniam qui ad beneficentiam benemerēdi studio collaturus est, is simul ac alicuius etiam officii recordatus fuerit, ad liberalitatem incitatiore veluti cursu feratur? Is qui sponte facturus aliquid sit, si cuius ei debiti officii in mentem venerit, nō multo alacrior & propensior fiat? Pontificum vero Maximorum omnium, neq: simplex, neq: vlla ex parte leuis debitionis ratio: atq: haud scio, an omniū sit grauissima, atq: eiusmodi, vt neglecta, ipsis dedecus sempiternum, mundo perniciem apportet. Primum omnium cui CHRISTVS claues illas, quæ nunc penes te sunt, regni sui dederit, certe eum regni sui hæredē in terris & successorem instituisse fatemur omnes: huius fidei regnum suum, quod aliis integrum pro virili sua traderet,

traderet, commisisse non dubitamus: Quod si quis hæres fidei suæ commissum patrimonium, diminutum & attenuatum ad secũdum hæredem, tertium, & item quartum transmittat, neque id fortunæ culpa acciderit, ignauus is, aut dissolutus habeatur, necesse est: quod scilicet illud si non auctius, at certe integrum reddere debuerit: Neque minus in vitio is est, qui quod exiguum & tenue acceperit, si facultatem habeat, nõ augeat & amplificet. Quid autem sub illis clauibus custodiendum CHRISTVS pater omnium maximus, cum ad suum ipse patrem ascendens, tanquam in procinctu testamentum faceret, hæredibus suis mandauit? patrimonium, opinor suum: Et quod aliud est, quam quod extrema eius abeuntis voce hæredes eius acceperunt, cum se ille pacem suam se dare, pacem se suam relinquere diceret? O admirabile patrimonium, o æterni patris insuperabilia dona. Non regna ille omnium regnorũ dominus, non opes, aut aurum, non prudentiam denique, iustitiam, aut fortitudinem, non alia huiuscemodi, quæ bonis & sapientibus uiris, quæ deniq: hominibus in humanis rebus summa esse solent, sed pacem, qua vna omnia regna, omnes opes, omnes virtutes continentur, pacem dedit, pacem reliquit. Videbat enim is qui omnia uidet, si regna dedisset, si bona cætera, parum ea stabilia, aut diuturna sine

D pace

pace fore, neque virtutem vllam ſine pace coli poſſe. Quos penes eſſet pax, penes eos bona omnia futura. Et fuerit quiſquam inuentus, qui tam præclarum, tam amplum, tam ſanctum patrimonium labe fecerit ac dilapidarit? aut tu Pontificum maximorũ omnium maxime, non modo illud ſarcire ac reparare, ſed in priſtinam etiam integritatem ac dignitatẽ à tantis calamitatibus, tam miſerabili labe uindicare non debeas? Quid, non illud etiam conſiderandum eſt, quod qui beneficium à quouis homine acceperit, is cum poteſtas ſit, ſi gratiam non referat, non immemor modo & ingratus, ſed nec bonus, nec vir quidem putandus eſt? Qui ſit honore ornatus, uel fortunis à quoquam homine auctus, vel alio quouis meriti genere prouocatus, ſi maiore (vt aiunt) menſura ſi modo poſsit, beneficium non reddiderit, in referenda gratia anguſtioris animi, ſi non ſaltem pari, tenuis & exilis, ſi ne referre quidem conatus fuerit, iniuſti habeatur neceſſe eſt: Quod cũ ita ſit, quid DEO Pontifices maximi debeant? quibus honorem quantum nemini, quibus poteſtatem ampliſs. quibus imperium latiſsimum, quibus denique ſuas in terris uices tam liberaliter dono dederit? Quod ſi cæteri cuiuſuis gradus homines, ne milleſimam quidem longo ſane interuallo partem, DEI in ſe beneficentiæ, gratiam referre conando aſſequi

poſſunt.

poſſunt, videndum erit, quid de illis exiſtimandum ſit, qui in rerum humanarum faſtigio à DEO collocati, pro tam immenſa liberalitate, ne gratiam quidem quo maxime modo opus fuit, referre ſtuduerint. Quid quod ut reges populorum, ita & tu gentium omnium & regum ipſorum paſtor diceris? Nō debes igitur credo, non modo à gregibus fidei tuæ commiſsis infeſtiſsimas feras arcere, ſed ipſos etiam gregum duces, irritatos inter ſe & ſæuientes placare: vt cum ut tu ipſos (liceat enim mihi in re non propemodum diuerſa, vnius omnium maximi & ſapientiſs. omnis ſapientiæ & veritatis autoris verba vſurpare) ita ipſi te cognouerint, in vnum omnes gregem conuenientes, tuo vnius paſtoris imperio & nutu ſe gubernari & regi patiantur. Verum hæc tibi cum aliis Pontificibus communia ſunt obligationis vincula, quibus cum propria quædam tua acceſſerint, quid maximæ obligationis ſummæ deeſſe poterit? In creandis quidem ſuperioribus Pontificibus, DEVM adfuiſſe, DEI voluntate, cuius nutu omnia diſpenſantur, omnes deſignari, dubitari nunquam potuit; in nullius tamen deſignatione aut plura ſunt edita, aut clariora diuinæ voluntatis indicia. Neque ob id tantum quod abſens creatus es, & ex remotiſsimis orbis terræ partibus, ad iſtam ſedem euocatus, quanquam id & inopinatum & rarū,

& quod ſemel tantum ante. cc. &. xx. plus minus annos, factum memoriæ proditur. Sed illud cui non mirabile videatur? In maximo Italiæ tumultu, cum duo maximi exercitus in armis eſſent, infectis, ſi vllo vnquam tempore, tunc maxime, partibus hominum animis, magnam ſummorum ſacerdotum diſſenſionem (adnitentibus per legatos regibus, vt is, quem quiſq: maxime ſecum facturum ſperaret, deligeretur) cunctis populis pertimeſcentibus, multorum ambitu indies inualeſcente, ita accidiſſe, vt quantiſper ex aliis quis gratia & opibus, auctoritate etiam, & in ordine eo vetuſtate pollentibus, nominaretur, à quampaucíſsimis aſſenſum fuerit: res ad diſsidium ſpectarit: Vbi tu paucis ante annis in illud collegium cooptatus, ſemel nominatus es, cuius antea nominis, cum propter abſentiam, tum quod ad eam petitionem nihil prorſus ſtudii, aut curæ contuleras, ne rationem quidem habitũ iri quiſq̃ putaſſet, ita omnes editum primum nomem tuum, diuinam veluti vocem venerabundi exceperint, tam cõcorditer in illud conſenſerint, vt ne in vllius quidem tabellæ latebra, vlla concertationis nota abſcondita fuerit. Quid ad hanc creationis conſenſionem tam inopinatam, tam inſperatam addi poteſt? Quis eſt, qui hæc niſi diuina vi euenire potuiſſe exiſtimet? Sed quæ conſecuta ſunt, quanto planius DEI

nobis

nobis mentem declararunt? Quando enim aliàs accidit, vt renunciato eo, quem neq: expectarit, neq: sperarit quisquam, pontifice maximo, populi nō potius rei nouitate stupuerint, quam vllam lætitiam præ se tulerint? At te renunciato, tanta cuncti repente lætitia elati sunt, vt omnium ordinum, ætatum, alterius etiam sexus, infantium medius fidius puerorum exultantium, voces & plausus ad aures tuas putem in vltimas terras peruasisse. Quis tunc putasset vllam spem de eo excitari posse, qui tam magnis locorum interuallis, ab imperii sui sede disiunctus esset? Quē ne in Italiam quidem vēturum, vetus illud Clementis. V. factum, probabili satis exemplo persuadere poterat? cuius deniq: mores, & virtutes, vt fama omnibus, ita ex certo, & præsenti iudicio, quam paucissimis cognitæ erant? At ea tanta excitata est, vt solum te omnes reip. reformatorem, mūdi pacificatorem, salutare gentium præsidium, ad vrbem venturum, (venturum enim nemo est qui dubitarit inuentus) & sperarēt, & prædicarēt. DEVS (mihi crede) DEVS ipse, tantam animis lætitiam infudit, tantam spem exuscitauit: ipse etiam idem tui absentis tantum & tam infinitum pectoribus desiderium immisit: ipse te maximæ Prouinciæ, quam tunc consilio animiq: tui magnitudine gubernabas, cura omni leuatum, maximarū rerum, quæ ad Vrbem aduētum tuum, aut impedire

pedire aut retardare poterant, negotiis explicatum, maturantem quidem ad profectionem incitauit: mare iam itineris causa ingressum secundissima tempestate prosecutus est. Quæ cum ita euenerint, tanto tu cæteris ad CHRISTI remp. tuendam obstrictior iure videri potes, quanto ipse illustrius quam alii vnquam cuiquam, post eum quem sibi in terris, suis ipse verbis primum legauit, suam ipse tibi volũtatem detulit, suæq; erga te beneuolentiæ tanto manifestiora edidit argumenta. Nam cùm in cæteris, huius beneficii partem casus, nõnullam hominum studia, plurimam semper fortuna vindicarit; certe quin totum hoc munus quod ad te delatum est, in te DEI consilio & numini acceptum referendum sit, nemo, modo nõ impius, aut diuinæ prouidẽtiæ inficiator, dubitandum existimarit. Sed beneficiũ fortasse quis id non putarit, quod scilicet & præter votum tuum contigerit, ac spem omnem ocii & quietis tibi ademerit. Te vero certo scio, qui honestis actionibus & laboribus, non commodis tuis bonum omne metiris, maximum te id putare DEO Beneficium debere: Neq: id ob eam tantum rem, quod nihil, quod DEVS dederit, beneficium iudicandum non est, quam quod magna tibi de re Christiana benemerendi occasio oblata est: tanto ea gratior, quanto nulla eam cura, nulla contentione, ambitu nullo, sed prorsus

ſus diuinitus nactus es. Quieſcant. n. atq: otio ſuo indulgeant illi, in quibus nihil ſit ad hominum ſocietatẽ iuuandam, aut opis, aut præſidii: Qui ſapientiæ, qui ingenio pollent & præſtant, quamobrẽ nati ſint, memores, ad iuuandum tuendumq: hominũ genus omnia ſtudia, omnem induſtriam, laborem etiã omnem conferant. Hi magiſtratus & honores vt nõ petant, certe vltro delatos, multo maxime diuinitus datos, communium vtilitatum cauſa, quam libẽtisſime & gratisſimo animo accipiant. Sed beneficiũ quod maxime debes, ne debeas, vel quod nullum ſit (quo nullum maius eſſe potuit) vel quod eam tibi DEVS, vt te omnibus meritis accumularet, debitionẽ condonarit: Poteris ne etiam quod pollicitus ſis, quod vltro te facturum ſpoponderis & receperis, hominibus, qui in leuisſimis etiam ſibi cauſis promisſi fidem integram præſtari poſtulant, nõ debere? Atqui quod a te vniuerſi expetunt, & pollicitus es, & memoria pollicitationis tuæ literis tuis, quæ tũc in vulgus editæ ſunt, tradita extat & cõſignata. Neq: enim vnquam ex Hiſpania citeriore, cum aut Barcinone, aut Victoriæ eſſes (ex his enim potisſimum locis, vbi. s. nauigãdi facultatem expectaſti, tuæ huc literæ perferebãtur) aut ad ſummorum ſacerdotum collegiũ, aut ad Italiæ principes ſcripſiſti, quin tuum te aduentum maturaturũ diceres: quo cæteris reip. negotiis

celer-

celerrime ordinatis &·constitutis,ad regum & popu lorum concordiam,bellumq: in impium hostem, to tam cogitationem & operam tuam conferres: quæ sane verba eam vim habuerunt, vt non modo mentem cunctis & voluntatem tuam declararent, sed à te etiam quod pollicebare,tanquam debitum postu landi,fiduciā præbuerint.Neq: id iniuria:quid enim quis cuiquam amplius,non dico spondenti aut recipienti,sed ne iuranti quidem credat,si quod tu tanta grauitate & sanctitate vir, lingua nuncuparis, dictaris,aut scripseris,ratum & sanctum non fuerit? Neq: vero hoc loco, dum obligationis tuæ causas comme moro,gloriæ etiam tuæ te tam præclaram actionem debere dicam: Quanquam multos video, qui nihil aptius ad principū animos excitandos crediderint, quam si eos ad gloriæ spem,& nominis immortalita tem inuitassent. Mihi quidē & probabilis & efficax ratio ea videtur apud eos, qui communi hac & mediocri sunt, & haud scio an vulgari quadam sapientia præditi. Quia enim hi honesti puram & simplicē naturam intueri nō possunt, iccirco eo,quod magis ad sensum patet,speciosiusq: est, vehemētissime mo uentur, Cum contra perfecti pleneq: sapientes homines, quod formam ipsam & tanquam faciem honesti vident & perspiciunt, amore veluti quodam eius admirabili excitati, nihil extrinsecus petunt:

solum

ſolum id,quod & ſi à nullo laudetur, natura laudabile eſt, per ſe expetunt: propterea nihil ſapientia glorioſius exiſtimantes, quod ea nulla laudis ſpe, ſed ſola & mera honeſtatis, virtutis, officii ratione moueatur. Ego te Adriane ſumma ſapientia virum, ſi rei ipſius pulchritudine, honeſtate, præſtantia non exciteris, vt id quod in tuo iſto honore omniũ celſisſimo & auguſtisſimo præclarisſimum eſt, ſumma alacritate capeſſas, moueri te iis credã, quibus infimus etiam quiſq: moueri posſit? Equidem illud nõ dubito, ſi pacis auctor & effector Chriſtianis, ſi expeditionis in Barbaros ſuſceptor extiteris, & viuenti diuinis proximos tibi honores homines tributuros, & vitæ huiuſce muneribus perfuncti nomen, elogiis, ſtatuis, ludis, ſolennibus & feſtis diebus, multo vero his omnibus ad perpetuitatem diuturniori bus, maximorũ ingeniorũ monimentis immortalitati conſecratũ iri. Sed hæc tibi tanto inferiora virtu tis propriis ornamentis eſſe duco, quanto tu ſapien tia cæteros oẽs, & anteis & excellis. Quod ſi aliud ti bi, quam quod in ſe virtutũ opera habent, proponẽ dum putarẽ, nõ magis credo te cœleſtia illa præmia mouerent, quæ maximis virtutibus & ingẽtibus in homines meritis, tot pii, et fortes viri cõſecuti ſunt, atq: in his innumerabiles, qui per tormẽta, & crucia tus, ſanguine effuſo, ſuã in verũ DEVM fidẽ teſtificati

E ſunt?

Non magis credo te diuini illi honores, quam vlla humana laus incitarent? qui & nunc ab hominibus, te duce & magiſtro, mitto illum cœli ianitorem, qui primus in iſto tuo ſolio ſedit, ſed & tot aliis maioribus tuis pio & grato cultu habentur, Syluestris dico, Gregoriis, Clemẽtibus, Celeſtinis, Bonifaciis? Nõ te poſtremo Adriani ante te quinq: cognomines tui, ſanctiſs. & de Chriſtianis optime meriti viri excitarẽt, qui omnes per vigilantiam laborem & ſtudium ſuum, Reip. cum ſecuritate amplitudinem & dignitatem, ſibi cœleſtia bona pepererunt? Sed neq: hæc apud te valere púto, quæ ſi, vt ſunt omnium bonorum maxima & optatiſsima, ita nulla prorſus eſſent, nihilo te ſegnius pro virtutis tuæ magnitudine, te quod te dignum eſſet, aggreſſurum conſiderem. Quamobrem vt hæc, quæ nihil quidquam attinent, miſſa faciam, cum debitionis tuæ cauſæ explicatæ ſint, quo quibus veluti ſtimulis certiſsima voluntas tua incitaretur, demonſtraremus, ad eam, quam inſtituendæ concordiæ obtines facultatem, mihi oratio conuertenda eſt. Atque eam quidem aut neminem vnquam habuiſſe, aut te maximam habere cuncti mortales, & cenſent & prædicant. Nam cum & vitæ dignitate, & quodam pertractandorũ animorum vſu & prudentia, poſtremo & gratia id perfici poſsit, in quo vnquam homine hæc aut maiora, aut amplio-

ampliora fuere? Primum.n.nulla eſt tam recondita, tam occulta leniendi & reconciliandi animorum ratio, quæ te profundiſsima mẽte, admirabili ingenio, & doctrina ſingulari virũ, aut fugere, aut latere poſſit: qui.n. diuinarum & humanarum rerum arcana quærendo & indagando perſcrutatus es, qui naturæ ſubtilitatem perſpexiſti, ſapientiæ obſcuritatem omnem non tibi ſolum, ſed aliis etiam illuſtraſti, & peruiam feciſti, clauſa aperuiſti, ardua & difficilia ſuperaſti, diuinam denique mentem commentando, & perueſtigando interpretatus es, non poteris idem opinor, aut veteres quantumuis retruſos & abditos modos perquirere, aut nouos ipſe excogitando adinuenire, quibus ab odiis & ſimultatibus abductos hominum animos, quantuncunq: duros & immites mollias & places, mox ad amicitiam & ſocietatem deuincias & coniungas? Non eſt profecto credibile, aut veriſimile, qui mundum totũ & rerum omnium vim, naturam, cauſaſq: mente ac ratione luſtrauerit, hominum eum ſenſus & mores nõ exploratos, perſpectos & cognitos habere: Qui diuinam naturam ſit intelligendo aſſecutus, humanæ vim non tenere. Nempe hoc illud eſſet, quæ in ſummo cœlo eſſent videre, quæ vero ante pedes, nõ cernere. Non eſt rurſus conſentaneum, humanorũ animorum habitum omnem & naturam deprehendiſ-

ſe,eas vero res,quibus in omnes partes moueri, regi ac flecti poſsint, perceptas & obſeruatas non habere. Nos vero te Adriane,cum in diuinitus ſcriptos libros tuos intuemur,omnis naturæ omniũ, quæ terra & cœlo continentur, gnarum & peritum, multo vero maxime eius ſcientiæ,quæ ad moderandos animos pertinet,compotem iudicamus. Sed quia ea, quam quis vel à natura,vel à doctrina rationem adeptus ſit, vſu & exercitatione maxime confirmatur, quis in hoc genere te exercitatior, qui tot annos prouinciam tibi à Cæſare commiſſam, magnã quidem illam & florentem,ſed propter populorum ferocitatem grauem & difficilẽ gubernaſti? Quoties illic & concitatæ multitudinis animi reprimendi, & à tumultibus,ſimultatibus,armis deniq: & furore ad æquitatem, manſuetudinem, placabilitatem reuocandi fuerũt? Quod ſi feroces tunc,& ad arma prõptiſsimos populos,neq: conſiliis regere,neq: prudẽtia tractare,nec ingenio deniq: &arte demulcere potuiſti,neque qua ſcientia aut ratione id effici poſsit, tenuiſti,Et ſi multo eſt illud maioris operæ, tantam multitudinem cohibere,quam pauciſsima capita ad officium reducere, ſed & hoc neſcias,fruſtra id à te & ſperemus & expectemus: ſin tam acres, tam peruicaces,tam concitati populi,tuis conſiliis adducti, tua oratione placati, mente in melius conuerſa,

armis positis, tuæ se fidei & æquitati crediderũt, tuã sunt auctoritatem secuti, nõ video cur paucos principes, neq; ita grauibus iniuriis irritatos, suæ præsertim ipsorum vtilitatis causa, ad amicitiam reducere non possis. Potius hercle is qui magnos exercitus in officio cõtinuerit, paucos comites & familiares suos continere non possit, aut is qui in oceano quinqueremem gubernarit, in Adriatico sinu, scaphã in portum dirigere nequeat, Quam tu tantæ & tam turbulentæ Prouinciæ, prudentiss. & felicissimus rector & gubernator, trium aut quatuor ad summum principum animos mitigare, atq: ad meliorem sententiã traducere non possis. Iam vero cum in cõcordiæ au tore vitæ dignitas requiratur, quod non facile, nisi cuius virtutes suspiciunt & admirantur, cuiusquam consiliis homines obtemperant, eam in te tantam in esse omnes intelligunt, vt non modo præsentes, aut recentiores homines anteeas, sed & antiquitatis omnem memoriam superes: De qua parcius & timidius loquor, quod cum ad te ipsum scribam, vereor ne gratiam potius me laudes tuas commemorando, à te inire contendisse videar, quam huius actionis de qua mihi oratio instituta est, suscipiendæ facultates tuas explicare voluisse. Sed profecto tantum abest, vt à proposito meo alienas laudes persequi studeam, vt necessariis etiam, ne tuus (quod

minime

minime velim) animus offendatur, magnopere me tuam: quippe qui non ita ſim grauitatis tuæ ignarus, quin neſciam nullo te laudum genere, ſed iis actionibus, quæ laude carere non poſſunt, multo maxime delectari, non neceſſariarum vero laudum omne genus, vt eſt intempeſtiuum & importunum, ita reprehenſione atq; odio apud te carere non poſſe: Sed in hoc metu, & voluntatis meæ conſcientia, & mea me natura facile conſolatur: cum fidem orationi meæ, nõ gratiam a te quærere ſtuduiſſe, meus mihi teſtis ſit animus, & ipſa me natura nulla prorſus in re acrem aut vehementem, ad laudandum uero gratificandi ſtudio, inertem etiam & languidũ finxerit. At enimuero, ſi recte rem conſideremus, multa concurrunt, quæ dignitatem tuam adaugeant. Primum permagni intereſt, de excellenti alicuius virtute opinio apud quos primum excitata ſit: quis primum in vulgus veluti exeunti bonæ exiſtimationi fores aperuit. Qualibus autem & quantis viris virtus tua comprobata eſt? Sed vt cæteros, quorum certe non obſcura, ſed non ita ampla & illuſtria de te iudicia extiterunt, miſſos faciam: Quanti te Maximilianus Cæſar, Quanti te Ferdinandus Hiſpaniarum Rex, (in quibus viris præter ſummam potentiam & fortunam, antiquæ virtutis quaſi exempli cauſa, & ſapientiæ veſtigia remanebant.) Quanti te inquam

duo

duo illi optimi & prudentisſimi viri fecerunt? cum ille ex filio nepotum duorum, Caroli & Ferdinandi, quos honoris & amplitudinis cauſa nomino, hic eorundem ex filia nepotum, teneram tibi ætatem inſtituendam & regendam tradiderunt. Non profecto maximi & circunſpectisſimi viri te pueris duobus, quibus, id quod res indicat, tam magnas opes, tam multa & florentia regna, tanti deniq: hæreditatem Imperii relicturi erant, magiſtrum & moderatorem delegiſſent, recuſantem etiam (quod opinor, ab inſtituto vitæ tuæ curſu ea erat alienior prouincia) precibus adduxiſſent, niſi maximas & vniuerſas illas virtutes, quibus regum puerorum, tener animus, ad probitatem, innocentiam, iuſtitiam, liberalitatem, & cæteras regias virtutes, informari & inſtitui poſſet, in te elucere & eminere cognouiſſent. Quanta hæc per DEOS immortales de te fuit opinio? quam ampla virtuti ſapientiæq; tuæ iudicia cõtigerunt? Quid ipſi à te educti & inſtituti adoleſcẽtes, vix dum puberes facti, tuorum in ſe meritorum & officiorum memores, qua te pietate proſecuti ſunt? Ipſi tibi non certe quo gratiam referrent, cum ab omni te huiuſmodi honorum cupiditate abhorrere intelligerent, ſed vt celſiore gradu, & ampliore fortuna virtutẽ tuã ornarent & honeſtarẽt, ſummos honores, & magiſtratus detulerũt, totius deniq: imperii

perii ſui ſummã fidei tuæ, ſapiẽtiæ, conſilio credide runt & cõmendarunt. Quid Leo Medices Pót. Max. cui tu nuper ſucceſſiſti, quale dignitatis tuæ iudiciũ vir ſingulari prudẽtia, & multis ac maximis laudibus ornatiſſimus fecit? cũ clariſsima & cõſtantiſſima vir tutum tuarum fama percitus, vltro te itidem abſentem, miſſis etiã ad te in vltimas terras inſignibus, in ſummorum ſacerdotum collegiũ allegit? Quid col legæ tui Leone iam mortuo, in Pontificiis comitiis quantũ tibi tribuendũ eſſet, non planiſſime declara runt, cũ grauiſſimi viri tanto animorũ & volũtatum conſenſu, altiſſimo tibi gradu, ad quem antea tanta animorũ contentione enitebãtur, tam facile cõceſſe runt? Atq: his quidẽ iudiciis & opinionibus dignitas tua cõprobata, quantã in concordia conſtituẽda ſit dignitatẽ habitura? cuius enim poſt hac exiſtimatio valuerit, ſi tantis tã illuſtrium, tam etiã ſapiẽtium vi rorũ de te opinionibus, non plurimũ fuerit tributũ? Quod ſi quis facta, non iudicia ſpectãda putet, is ſi, non dico in totam vitam, ſed in paucorum menſiũ, inter maximas propter Vrbis inſalubritatem moleſtias, actiões tuas intueatur, ab his profecto Põtificatus tui initiis, nullũ virtutis, pietatis, iuſtitiæ, religionis aut exẽplum, aut documentũ abeſſe cõfitebitur. Ego ſane ita exiſtimo, nõ modo nõ ampliſſimorũ & grauiſſimorũ virorũ, ſed ne vulgi quidẽ iudiciũ, niſi

ex

ex magnis in vtranq: partem causis ortum ducere, atq: ita raro falli, vt non ab re, populi vocem, Dei uocem appellemus. Quare cum ad eorum, quos paulo ante nominaui, hominum de te opiniones attendo, mox vulgi animos ad eam spem erectos video, vt aut ab vno te seruari se posse, aut nullam in posterum salutis sibi spem superfuturam arbitrentur: Virtutes vero tuas, dũ mente & cogitatione persequor, ita statuo, neq: meritis tuis hominum iudicia, neq: hominum iudiciis merita tua defuisse: Ista vero qui sit auctoritate, in suscipiendis cuiuscunque modi negociis, omniũ expectationi satisfacere, in perficiendis nullam non opinionẽ & spem assequi & superare posse. Age vero quoniam iis homines fidem maximam habere consueuerunt, quos maxime diligunt, itaq: in priuatis litibus & controuersiis arbitri, aut disceptatores non modo non ii, quorum sit alterutri parti fides suspecta, sed ii fere semper, qui gratia apud vtranq: partem valent, deligi solent, Quid tu ea in maxima gentium omnium, quæ Christi religionem profitentur, causa præstare possis, videamus. Et si cum de virtutibus, integritateq: tua egimus, huic etiam parti satisfecisse videri possumus. Magnas enim vires, magnam necessitatẽ virtus, & in diuersam partem vitium possidet, vt neq: cuius animus, fraude & malitia nõ careat, nõ inuidiosus, neq:

in quo virtutis aliquis ſplendor eluceat, non ſit omnibus amabilis & gratioſus. Quo igitur principes & populi in te animo eſſe debent, cuius admirabilium virtutum facibus, totus iam pridem orbis terræ illuſtratur? Merita quidem in populos tua, quibus plurimum ſolet beneuolentia conciliari, non commemoro: quod ea mihi propter loci mei humilitatem non ita ſpectata & cognita ſunt: Maxima illa tamen eſſe ut credam, ea coniectura adducor: quod accepto primo de creatione tua nũcio, ad id enim plurimum animum attendi, in omnibus ciuitatibus, & prouinciis, quod partim ex multis multorum literis intellexi, partim etiam ipſe vidi, à cuiuſuis nationis hominibus, noua & inuſitata letitiæ & gaudii ſigna edita ſunt: cuius quidem lætitiæ, cũ partem ſibi comitiorum diuinus ille exitus, partem communis de te omnium opinio vindicet, vix tamẽ tam effuſam, tã expreſſam, niſi magna in homines vniuerſos officia tua conſtarent, futuram fuiſſe crediderim. Neq; vero eſt, quod à ſimulatione eam profectam quiſquam interpretetur: poteſt enim fortaſſe paucorũ animus ſimulatione obtegi: Vniuerſorum vero populorum ſenſus, nulla ui quin ſe prodat & efferat, comprimi, cohiberi ue poteſt. Illæ igitur liberæ populorum exultationes, feſti luſus, plenæ gaudii gratulationes, mitto merita, ſed certe gratiã quacunq;

de

de causa collectam apud omnes tuã testificatæ sunt. Sed vt cætera nihil sint, quãtam iam ea, quã sanctissime colis, cognoscendi æquabilitate, hominum gratiam collegisti? ita enim prædicari audio: æquabiliter à te summi ac infimi, familiaris & ignoti causam cognosci: in priuatis officiis necessitudinum, in publicis, vnius te iuris, æqui & boni rationem habere: itaq; hoc ipso quod paucorum gratia nihil moueris, longe lateq; omnium gratiam complecteris. Est.n. ita comparatum, vt qui gratiæ in cognoscendo tribuat, paucorum quibus gratificetur, qui iuris constantiam & grauitatem gratia vinci non sinat, omnium beneuolentiam promereatur. Quis igitur bonus & moderatus princeps, se arbitrio tuo non committet, qui non oppressione, sed disceptatione, non gratia, sed æquitate secũ actum iri intelliget? Quamobrem cum ad cæteras huius quam quærimus, concordiæ conficiendæ facultates, fides accedat, atque hominum beneuolentia, quod aliud amplius vel instrumentum, vel adiumentum abesse poterit? Et sane si in solius concordiæ curam incumbendum esset, nihil omnino aliud requirẽdum fuerit: Constat enim concordia solo animorum consensu, & voluntatum coniunctione: quæ vt nulla vi cogi possunt, ita, vt rationi cõsentaneæ esse, iustitiæ obedire, temporum necessitati parere velint, Summi alicuius ho

minis ſapientia, gratia, auctoritate perfici poteſt. Sed cum magnam curæ tuæ partem, propter hoſtium impotentiam & perfidiam, pii ac iuſti belli neceſsitas ſibi vindicet, quæ in opibus poſita ſunt, nihilominus ad bellicas expeditiones conficiendas, quam quæ propria animi bona ſunt, ad concordiam firmandam neceſſaria haberi debent. Quanta vero tibi, ſumme DEVS, huiuſce rei facultas ſuppeditat? Cum vnum te ob tantam & tam incredibilem tibi cum Cæſare eiuſque fratre, ſumma virtute & indole iuuene, amoris & mutuæ caritatis copulam, Hiſpaniæ, Germaniæ, Siciliæ, quibus prouinciis Cæſar cum fratre iuſte & legitime imperat, magnæ etiam Africæ partis, Italiæ deniq; omitto eam partem, quæ aut Cæſaris, aut tua non eſt, quanquam nulla te non patrem, ipſum Cæſarem vel patronum, vel amicitia fœdereq; coniunctum agnoſcit: Et ſi qua tua, aut tuorum non eſt, ea concordia conſtituta, tam facile, tam libenter futura in officio ſit, vt nullius minus, aut opes ſis, aut operam deſideraturus: Sed de ea nihil dico, de propriis enim nunc præſidiis tuis loquor, tot nationum auxilia & vires, ad id bellum quod publicæ ſalutis & dignitatis cauſa ſuſceptum fuerit, vnum, vnũ inquã te præſtare poſſe omnes intelligunt? Quæ vero tanta eſt belli cuiuſquam magnitudo, cui non tam mul

tarum

tarum & bellicosarum gentium præsidia satisfacere posse videantur? Sed quo animo, qua alacritate, qua deniq: piæ vltionis cupiditate, vltro Pannoniã duce optimo, & ad arma promptissimo rege, Cæsaris affine, suum aggregaturã robur putemus? quæ sola per se iam tot annos frustra auxiliis expectatis, truculentissimis hostis conatibus restiterit? Quare cum tam certa, tam firma sit penes te rei bene gerendæ facultas, non solum ob id quod cæteris sapientia & reliquis animi bonis præstas: Sed etiam quod ante hac ne centesimam quidem potentiæ & opum tuarum partem, quisquam ex superioribus pontificibus adeptus est, tanto quã cæteri & clarius & maturius hæc à te reip. opera nauanda est. Quod si longe remotiore adhuc periculo, cum barbarorũ immanitas, Asiæ se, neq: ita latis finibus contineret, Europæ vero vix dum litora attentasset, aliquot tamen inuenti sunt Pont. Max. qui ad eius expeditionis curã, quod nempe proserpens indies latius malum negligendum esse non arbitrabantur, animum adiecerint, si capto deinde Byzantio, Chalcide in Eubœa expugnata, magna & pulcherrima Europæ parte, à perfidis & impiis hostibus non oppressa modo, sed fœdissimis cædibus lacerata, & sacrilegis flammis incensa, omnes ad vnum, belli in barbaros suscipiendi causa, de concordia Christianorum & cogitarint & egerint, quidam

dam etiam paruis admodum auxiliis freti, ad bellũ tantum suscipiendum, adeo promptum animum & alacrem præ se tulerint, vt & nunc non alia re, quam ob grauissimos iisdem fere temporibus, Germaniæ, Galliæ, Hispaniæ motus, Italiæ vero infestissimos tumultus, & miserabiles seditiones, à pulcherrimo proposito auerti, deterriq; potuisse, memori & grata eos recordatione homines persequentes existiment, quo tandem animo te Adriane Pont. Max. esse par est, cum iam barbarorum faces, non modo in Europæ oras & insulas remotiores, sed aduersus intima Christianorum regna, aduersus ipsam deniq; quam tu nunc tenes, CHRISTI sedem, & diuorum à quibus ad te tantum imperium peruenit, templa accendantur, eorum gladii in adiunctissimos & proximos tibi ciues, in te ipsum deniq; intententur & acuantur? Præsertim vero cum vt periculi magnitudo dilationi, ita res omissa nullum excusationi locũ sit relictura: cum tu non solum ob eam qua omnes tanto interuallo superas, sapientiam, grauitatem, auctoritatem, postremo etiam gratiam, ad cõcordiam principes conciliare, Sed maximas etiam opes ad id bellum, quod pro salute & dignitate Christiani nominis geratur, cõferre possis. Nonagesimo & secundo ante hũc anno, inter Christianos de armis in Turcas, cum primum illi in Europam conuersi, Thraciam

ciam & Myſiam oppresſiſſent, capiendis agitari cæptum eſt. Flagrabat odiis nihilo quam nunc minoribus reſp. Pont. Max. erat Eugenius. IIII. vir & ingenio & ſolertia ſingulari: Is ſedatis (vt potuit) inter principes quoſdam diſcordiis, Sarmatiæ, & Panoniæ reges, quibus potuit viribus aduerſum Turcam iuuit: Et eſt huius auſpiciis clarisſima illa, tot Turcarum millibus cæſis, parta victoria: cuius adhuc teſtis impio ſanguine Danubius temeratus: cuius adhuc teſtis extat in Thracia Adrianopolis. Succesſit huic Nicolaus. V. vir & prudentia, & animi magnitudine longe præſtantiſsimus: Qua non hic induſtria vſus eſt, quam non adhibuit curam, vt diſsidentes armis principes ad concordiam reuocaret? Qua re ſæpius fruſtra tentata, cum Byzantium tunc Græciæ, nunc Turcici Imperii principem vrbem captam accepiſſet, animi eum ægritudine & mœrore vitam finiſſe creditum eſt. Calliſtus deinceps. III. quam ille bonus & plane ſanctus vir, huius expeditionis cupiditatem præ ſe tulit, qui voto etiam vltro ſe, & iureiurãdo ad id bellum obligaſſet? Qui cum principes fruſtra ſæpius ad pacem adhortatus eſſet, eatenus voti compos fuit, quod Pannonii circa Danubii & Saui confluentem, ad Taurunum quod nũc Europæ propugnaculum amiſimus, Capiſtrano Pont. legato auſpice, illataq: pro ſignis in aduerſam aciem, cui acce

ptam

pram. salutem nostram referimus, cruce, parua manu magnas hostium copias fuderunt & ceciderunt. Quid Pius. II. integritate & fide vir summa, virtutibus & doctrina etiam, si quid ad rem pertinet, admirabili ornatus, quo studio, qua cura, qua etiam sollicitudine, de pace inter Christianos, de belli apparatu in Turcas, in Mantuano conuentu egit? Cui cum parum res multorum discordiis & importunitate distracta, ex sententia processisset, Bellum tamẽ maximi animi vir, suis ipsius opibus, Pannoniorum terrestribus copiis, Venetorum classe, Burgundionum vero, neq: magnis, neq: ita certis auxiliis aggredi est ausus: Quod si non viribus magnis, at ingenti certe animo gesturus etiam videbatur, nisi in medio rerum conatu, subita morte, cunctorũ hominum fuisset desideriis emptus. O vere felicẽ optimæ mentis hominum memoriam, qui dum vixerunt, vna hac voluntate, & studio felices fuere, felicissimi procul dubio futuri, si aut maiores ipsi vires, aut reip. Christianæ principes meliores & officiosiores nacti fuissent. Hi se vt Christiani populi causam tuerentur, Pontifices factos meminerunt: Hi se studium illud, quod Pontificibus antiquissimum esse debebat, defendendæ. s. religionis, magno animo complexos esse facile declararunt. Et hi quidem & præsentibus & posteris, satis certis & claris argumẽtis mentẽ suam testa-

teſtatam reliquerunt. Omitto reliquos, quorum vt animus fortaſſe fuerit in hanc curam propenſior, nõ ita illuſtres actiones fuere: cum nemo tamen ad hunc vſque diem, ne ſingulos nominem, vt Paulos, Xyſtos, Iulios, ipſum poſtremo Leonem, aliquod, aut ſtudium, aut certe huius præclari operis cogitationem non præ ſe tulerit. Quod ſi quis etiã in hac cauſa lentior & languidior fuerit, non ita is venia, vt laude careat: Eorum alicui (quod tamen timide de tam illuſtribus viris dico) ſumma virtus defuit: alii auctoritas, gratia, omnia denique, quæ tibi abunde ſuppetunt, rei gerẽdæ adiumenta omnibus defuerunt. Iiſdem, quibus & nunc, & haud ſcio an maioribus, reſp. odiis & contentionibus laborabat, diuiſæ pluribus regnis & imperiis Europæ partes: neque erat principum quiſquam, cui ea cum Pontifice maximo neceſsitudinis iura intercederent, vt cum publico bono & vtilitate non moueretur, inimicitias ſuas ſe ei condonare, pro mutuo inter ipſos animo debere putaret. Quam diuerſa nunc rerum conditio? mitto ea, quæ in te ipſo ſunt, ne idem ſæpius vſurpem. Vnum illud quanti per DEVM diuoſq: omnes eſt, quod is, qui vnus multorum regna obtinet, qui vnus quæ plurium opes eſſe conſueuerant, in ſua poteſtate habet, tanta tecum neceſsitudine conuinctus eſt, vt ad te omnia referat, ſuaq: om-

nia, ipsum deniq: se, nutu consilioq: tuo regi ac gubernari facile patiatur. Qui si semel auspiciis tuis publicam omnium causam susceperit, seque dignum in CHRISTI fide propugnanda & propaganda, tanto imperii & dignitatis culmine, præclara indole, virtute, & potentia admirabili adolescens præstiterit (quod transacta & firmata pace facturum non dubitamus) solus nominis nostri hostibus magno terrori, solus magno & perpetuo sacrosanctæ fidei, præsidio esse possit. Et adhuc Adriane, cum te & propriæ cuiusdam obligationis stimulis incitatum, tot & tantis virtutibus ornatum videamus, tam magna pollentem auctoritate, tam ingentibus cæsaris.i.tuis opibus uigentem, dubitare poterimus, quin quæ alii aggressi sint, ipse non exequare? quæ attentarint tantum, ipse non transigas? quæ postremo cogitarint alii, aut conati sint, ipse nō felicissime perficias? Atq: id hoc potissimum tempore, quo nullum insolentissimi hostis à ceruicibus nostris repellendi, maiorem, aut magis necessariam curam postulauit. Vlcisci certe eum grauissimis iniuriis toties prouocati sæpissime debuimus, & tunc maxime, cum magna & grauis illa Christianis illata est clades, magna etiam infamia iniusta, cum Byzantium alterum imperii nostri lumen, alterum Reip. Christianæ columen, nobis ui nefaria ereptum: cum tot Christiano

rum

rum hominum millia, cum ipſo Græciæ Imperatore in DEORVM templis & penetralibus cæſa, impii hoſtis manus potius fatigarunt, quam ſanguinis noſtri ſitim ſatiarunt. Tunc etiam cum alteram illam plagam, neq: multo leuiorem accepimus: cum S. Euboea Aegæi maris propugnaculum, de noſtrorum manibus extorta eſt. Deinde cum non Myſiam tantum, & Thraciam vniuerſam, ſed Græciam, & Pelopōneſum, & ad hæc Epirum, & Dalmatiæ longe maximam partem amiſimus. Tunc profecto, tunc vlciſci debuimus: eoq: maxime, quod non hoſtis fortitudine, non virium eius, aut opum magnitudine, ſed diſcordiarum & ſimultatum noſtrarum importunitate, ea nobis loca adempta ſunt. Neque vero tunc aut leui, aut ita lento & remiſſo animo ferenda & iniuria, & calamitate affecti ſumus: cum idem hoſtis Illyrici & Germaniæ difficultatibus ſuperatis, cum non ita magna equitum manu pulcherrimā cunctis inſpectantibus, pauciſsimis reſiſtentibus, Italiæ partem iam ter incendiis vaſtauit, effuſiſsimis excurſionibus populatus eſt: Ingenti deinde præda acta, atq: in ea multis hominum millibus in miſerabilem ſeruitutem abductis, impune ſeſe in ſuos fines, atque adeo i noſtræ illudens ſegnitiæ recepit. Quod vero potu t in nos maius, aut quod niſi lentiſs. fuiſſemus, magis nos excitare ad vltionem debuerit, audaciæ

 exem-

exemplum edere, quam cum paucis in Calabriam militibus expoſitis, non modo eam oram prædabũdus excurrit, ſed Hydruntem etiam ſubito impetu oppreſsit, neq: ante oppidum dimiſit, quam regem ſuum e medio exceſsiſſe audiſſet? Quod niſi nuncio eo perculſus fuiſſet, vti ſe ab eo tempore adhuc res noſtræ habuerunt, non modo illud perpetuo tenuiſſet, ſed ex eo & plura & firmiora ad oppugnandum imperium noſtrum loca occupaſſet. Taceo bis oppugnatum Taurunum, & altera oppugnatione captum. Taceo bis oppugnatam Rhodum. Auerte ſupreme DEVS, auertite diui diuæq: omnes, Expugnatam vnquam vt audiamus. Has tam graue, tam inſignes iniurias, tot cædes, incendia, populationes vlciſci certe debuimus: nemo tamen inuentus eſt, qui vltus fuerit: præclare res ſe habuit, ſi ii, quorum fines tentabantur, hoſtem nonnunquam ad tempus arcere potuerunt: Cum interea ne leuiſsimas quidem iniurias inter nos, alter alterius ferre potuerimus. Vt enim omnium ætatum à Chriſtiani imperíi initio, noſtrorum inter ſe regum iniurias colligamus, vix quotam earum partem efficient, quas per hos proximos. C. annos à Turca accepimus: quis non dico ſummorum regum, ſed quis regulus, quis tam tenuis princeps, quæ tam parua reſpub. aut fines ſuos carpi, aut dignitatem ſuam perſtringi animaduertit, quin, non modo per ſe arma

ceperit, ſed amicos etiam & ſocios co ;ci tarit? acre bellũ, quo toties iam & per tot annos ætate noſtra, & Italiæ, & Europæ regna arſerunt, commouerit? Non Italiæ principes, non exteri reges mutuas inter ſe iniurias, & leuisſimas quidem iniurias, non Chriſtianorum denique Chriſtiani leuisſimas contumelias ferre potuerunt. Vetera non commemoro, non Hiſpanienſes, Gallicas, aut Germanicas ſtrages: ſed quoties (quod non poſſum ſine lachrymis recordari) intra proximos ſuperiores. xv. annos, in Italia, quo omnis belli torrens præcipitatus eſt, ſtare in acie paratisſimos & maximos exercitus vidimus? quorum impetus non Thracia, non Aſia, non quid quid eſt impiorum hoſtium ſuſtinuiſſet, exacerbatis odio animis, dum ſuas ſe iniurias vltum ire prædicant, collatis inter ſe ſignis dimicare? delectisſimorũ hominum corporibus ſolum ſterni? totas fluuiorũ, maris etiam ipſius vndas Chriſtiano ſanguine, per Chriſtianos effuſo infici. Quot magnæ & claræ vrbes intra hoc tempus, à maximis exercitibus expugnatæ & direptæ ſunt? quot oppida, & vici exuſti? quot ciues à ciuibus in ſeruitutẽ abducti? quot omnium ordinum, ætatum, alterius etiam ſexus homines à maximis fortunis, aut ad vitam turpiſſ. aut ad maxime miſerabilem calamitatem depulſi ſunt? Cũ interea ne gladium quidem quiſquam, niſi quis maxime

xime finitimus & cui maxime necesse fuit, in Turcã strinxerit. Et cum sæpissime omnes aut suas, aut alienas, quas Christiani fecerint, & leuissimas iniurias vltum ierint, nemo quisquam aut communes Christianorum omnium, aut proprias sociorum (quãquam vix potest, quæ à communi omnium hoste infertur, cuiusquam esse propria iniuria) & intolerabiles quidem vltum ierit. Auxilium Byzantinus imperator implorauit: auxilium ferendum multitudo omnis clamitabat: ardebant omnes dolore, cum eo præsidio Christianam religionem spoliari viderent: At principes quasi nihil quidquam id ad se attineret, alia agentes, primo Thraciam & Cõstantinopolim, mox vniuersam Græciam diripi, cædibus cruentari, in seruitutem rapi, ò Christiani nominis dedecus, ò flagitiosa tempora, ò pestiferæ seditiones, partim ociosi, partim inter se dimicantes audiebant. Auxilium Veneti cum chalcis in Eubœa oppugnaretur, cum terrestribus copiis Carnos & Iulienses, iam bis maritimis & terrestribus Methonen & Coronen in Peloponneso Barbari adorti essent, petierunt: Negligentibus eam causam ferè omnibus, Italiæ pulcherrima pars Turcarum excursionibus vexata & lacerata, oppida munitissima à truculentissimo hoste expugnata sunt. Auxilium toties Pannonii petierunt, cum per Mysiam ille eorum fines inuaderet: auxiliũ

vero

vero nemo vnquam tulit: ne nuper quidem, cum omnibus ſatis conſtaret, Tauruno capto, in ſuperiorem etiam Pannoniam & Germaniam, quam vis magno & impedito hoſtium exercitui aditum patefactum iri. Non vetus hoc eſt: non quod parentū noſtrorum memoria acciderit: oppidū illud, illud Europæ propugnaculum, dum cæteri Chriſtiani maximis & cruētisſimis prælijs iniurias mutuas vlciſcuntur (ſic enim ſua odia, ſuam regnandi cupiditatem prætexunt) Turca de Pannoniorum manibus extorſit. Auxilium Rhodiorum equitum magiſter, auxilium totus illi equitum honeſtisſimus & florentisſimus, & in Chriſtianorum cauſa acerrimus ordo, dum terra mariq: nobilisſima inſula oppugnatur, obſideturq: petijt: Auxilium ſolus tu Adriane, quantum temporum ſiuit iniquitas, quantum prima Pontificatus initia præſtare tibi potuerent, miſiſti: Alij quæ illuc mittenda fuerant auxilia, aut in prouincialibus, aut in Italicis exercitibus occupata habent: ſuū ſe ſe negocium agere dictitant. ò dignos à quibus alienus ſit CHRISTVS, cum ipſi aliena à ſe negocia putent, quæ ad CHRISTI remp. attinent. Pauci quidem & optima ſunt mente, & imperatorē & claſſem in illis locis habent. Sed quid faciant? irritent ne hoſtem, vt ſoli omnem eius iracundiæ furorē, ſi modo posſint, ſuſtineant? Et quòd grauius eſt, ſi quid offenſum

ſum fuerit, quidquid nũc maritimi præſidii eſt, perditum eãt? Deſeretur igitur Rhodus: Præda erit immaniſſimo hoſti Rhodus: DEVS diuiq: oẽs prohibete: in vobis enim ſolum omnes olim florentium, nunc miſerorum (ſi modo miſera virtus eſſe poteſt) Equitum ſpes ſitæ ſunt: prohibete inquã, clariſsimã illam inſulam, quæ per tot annos religionis noſtræ portus & propugnaculum fuit, vnquam vt captam audiamus. Sed præterita miſſa facio. Hoſtis iniurias, ſæuitiam, crudelitatem vlciſci, laborantibus grauiter Chriſtianis, ideſt ciuibus ſuis opem ferre principes noſtri, aut non potuerint, aut noluerint, alienam etiam cauſam putarint: Quid, nunc magno & manifeſto periculo circumuenti, oppreſsis iam, quos tueri debuiſtis omnibus, veſtram ne etiam ipſorũ cauſam deſeretis? fines veſtros, oppida veſtra, fortunas, opes, imperia & regna veſtra, quorum ne minimam quidem partem, quo iure, quaue iniuria eripi à veſtris, vobis paſſi eſtis, iam non ab alienis modo, non modo à barbaris, ſed ab impiis & efferatis hoſtibus diripi, inflammari, diſtrahi ac lacerari, poſtremo etiam auferri, vos vero aut miſerabiliter pelli, aut crudeliter trucidari patiemini? Sed quo me dolor & rei indignitas rapit? ita propemodum loquor, vt ſi mihi ad reip. proceres hæc oratio inſtituta eſſet: perinde quaſi tantum eſſet illis à controuerſiis, à ſimul

tatibus,

tatibus, à præliis inter ipsos ocii, ad meam vt illi orationem animum attenderent. Ad te Adriane redeo: vides in quo statu res sit: vides tot Christiani imperii nobiles & opulentas partes in hostium potestate esse: Vides. C. superioribus proximis annis, Turcã totius Europæ, quæ ad Aegeum & Ionium mare patet, omnium pene insularum, Asiæ ad hæc totius imperium adeptum: qui hostem vlcisci curarit, cum maxime opus fuit, & necesse fuit, neminem inuentum. Sed ne vlti quidem fuerint, non de vlciscendo iam, sed à iugulis ceruicibusq; nostris repellendo agendum nunc est. Quid enim restat, nisi vt aut ei resistamus, aut vt vitam vnà cum imperio & dignitate amittamus? Quod si vitam fortasse non amittamus, dignitatem certe & imperium, sine quibus ne vitam quidem saluã velle debemus, qui retinere amplius, nisi resistamus, possumus? Non enim dubito, quin pro sapientia tua existimes, neque in posterum hostem eum cessaturum, cuius inquies & insatiabilis sit animus, infinita imperandi cupiditas, opes quantæ citra annos. M. nulli vni vnquam regi contigerunt. Quiescere neque ipse volet, neque sinet eius populorum immensa humani sanguinis sitis: excursionũ non sinet, rapinarum, incendiorum dulcissima ipsis consuetudo. Quo bellum igitur mouebit? Quo arma inferet? Quo impetum faciet? in Asiam

H ne?

ne? at in quam eius potisſimum partem? Ciliciam ne,aut Bithyniam,Pontum,aut Cappadociam? Iam pridem illi hæ armis debellatæ regiones parent. In Syriam igitur & Aegyptũ,at nuper victo & obtruncato Tyranno,eorum locorum potitus eſt.Seruit ei Arabia: ſeruit Aſſyria: Seruiunt ei,o dolor,o Chriſtiani nominis infamia, eius monimenta,qui ipſe omnibus in cœlo imperat.Armenios, Medos ſempiternos ſibi hoſtes bello aggredietur? At illi victi hoſtis conditiones acceperunt: Imperata ocioſi faciũt. In Scythiam ne,aut in Africam mouebit? At dominum eum,earum regionum cultiores partes agnoſcunt: reliqua eiuſmodi ſunt, vt neque ei propter itinerum difficultatem & longinquitatem attentanda ſint, neque propter locorum infelicitatem expetenda. Ad Europam igitur animum adiiciet: ita ſane credendum: Hoc vero non credi modo, ſed & iam formidari vulgo video. Hanc ſibi ſi Chriſtianorum imperium delere velit, quod maxime ſtudet & contendit,expugnandam intelligit: Hanc ipſe odit: Huius medius fidius non populis modo, aris atque focis, ſed vrbium mœnibus, domorum parietibus hoſtis eſt acerbiſſ. Huius ipſe partis ſibi ad hunc diem intactas, potentes illas quidem maritimis & terreſtribus opibus, potentes armis & viris, ſed grauisſimis inter ſe odiis laborantes, & in ſuum

exitium

exitium ruentes, Italiam vero imperii nostri caput, florentissimam (si opibus & felicitate sua non abuteretur) non Europæ tantum, sed totius orbis partem, Vrbem ipsam religionis sedem, DEI ac diuorum, tuumq; Adriane domicilium, iampridem adoriri cogitat: iampridem animo & cogitatione expugnauit & diripuit. De proceribus vero reip. nostræ, De te ipso Adriane quæ cogitat, summe DEVS diui diuæq; omnes, in ipsius caput vertite. Europam videt non in extremis orbis partibus, sed in conspectu sibi esse: non prohiberi se ab eius aditu, magni alicuius pelagi, aut longi & asperi itineris difficultatibus, cuius maximam iam ipse partem teneat: opibus vero & agrorū fertilitate nullam huic mundi partem parem esse. Huc igitur cogitationes suas, huc omnium bellorum meditationes confert. An aliud cogitasse credimus, cum Taurunum in interiore Pannonia oppugnaret, Scardonam nuper in Dalmatia? Quid illic erat, quod tanta impensa, tanto labore, tantis etiam cum incommodis expeteret? EA ne ipse oppidula tanti fecit, vt in eis oppugnandis totum exercitus sui robur occupatum haberet, ipse maxima incommoda (vt in desertis locis par fuit) tolleraret? Tot nobiles & opulentas vrbes, in interiore Europa, tot portus, Naualia, tot auri & argenti metalla, tantum aureorum & argenteorum operū, tan-

tum gemmarum, quantum in ſacris & profanis, publicis & priuatis ædibus cuſtoditur & poſſidetur, tot theſauros, tot vectigalia non concupiſceret, de Myſiæ vero, & Dalmatiæ tuguriis, ouiculis & paſtiũculis tantam curam, tantam ſolicitudinem ſuſciperet? Non eſt profecto, non eſt id eius cupiditati conſentaneum: ſed dum illa curabat, ad hæc directos & intentos oculos habebat: per illa ſibi ad hæc aditum pateſaciebat. In Europam igitur, quam concordem perhorreſceret, maximis nunc ſeditionibus agitatã impetum faciet. Quo vero. C. proximis dehinc annis peruaſurum inſidiando, diſcordiarum noſtrarũ tempora aucupando putemus, ſi quãtũ proximis superioribus occuparit, recordemur? Sed nihil ad nos futura ætas (quãquã debet ad ſapiẽtem & bonũ virũ omnis ætas pertinere.) Quid ſi imperiũ ſuum lõgius & latius, breuiore multo annorum curriculo propagarit? Neq: enim diſſimilis eſt in imperio, atq: in re familiari augẽda ratio. Sunt enim in vtraq: re prima quæq: ardua & difficilia: quæ qui ſuperarit, reliqua ei omnia in procliui eſſe conſueuerunt. Quis enim non videt, ex tenui quenquam mediocriter locupletari, plenum eſſe laboris & moleſtiæ: à medio autem diuitiarum gradu, ad ſummas diuitias multos ceſſantes fere ipſos, rei natura, veluti ſecundo æſtu ducẽte perueniſſe? Qui. C. annis in Europa parua admodũ

manu

manu Triballos, Myſos, Thracas, Peloponneſum, & Græciam vniuerſam, Eubœam, Epirum, bonam etiam & magnam Dalmatiæ partem ſubegerit, In Aſia pontum & Cappadociam, tot nationes, tot regna, quæ vix posſit quis enumerando aſſequi, nuper vero Syriam, Babyloniam, & Aegyptum debellarit, HUIC vt totidem anni in reliquis Europæ partibus, quæ ne decima quidem eius Imperii pars eſt, non modo periculum ſpectantibus, ſed acriter disſidentibus, ipſisq: earum principibus mutuo ſe nefariis armis oppugnãtibus, & ad ſuum ipſorum interitum quaſi de induſtria adnitentibus. C. inquam anni conſumendi vt ſint? Illud illud timendum eſt (nullum enim Adriane præſentius periculum vnquam fuit) ne ſi non, quod debent, Principes fecerint, non ita multo poſt, quæ nolimus omnes patiamur. Qualem rerum noſtrarum ſtatum video, non vereor ne liberi noſtri, sed ne nos ipſi aut ſeruiamus, aut ſanguine tandem noſtro (non poſſum enim diutius, quæ me proloqui dolor cogit, obticere) hoſtis rabiem ſatiemus. Quod nam igitur huic malo remedium inueniri poteſt? quæ ad tam inſtantem & vrgentem perniciem propellendã ratio excogitari? Si per te reditus in gratiam inter principes nõ interceſſerit, si odiis ipſi & exitialibus iſtis vltionibus finem non fecerint, si quibus inter ſe dimicant,

arma in noſtrum & CHRISTI hoſtē non conuerterint, quid reliquū ſpei eſſe poſſit, profecto nō video. Quin quæ iam pridem labuntur, Chriſtiani Imperii res præcipites eant, qua ratione ſuſtineri posſint, mihi hercle in mentem venire non poteſt. Sin concordiæ, compoſitionis, pacis, ſocietatis autor extiteris, ipſi vero per te placati, opes ſuas, quibus iam pridem abutuntur, ad communem ſalutem conferant, publicæ ſalutis curam inimicitiis ſuis præferāt, nemo eſt qui dubitet, non tantum ſuperiorum temporum errata corrigi & emendari, ſed victo etiam immanisſimo hoſte, Chriſtianam rēmp. in veterem dignitatem & libertatem ſuam vindicari poſſe. Nouerunt omnes quæ ſint noſtrorum principum vires, quæ aut in exercitibus, aut in pecunia opes: Sciunt ſingulorum vectigalia: viderunt ſæpe, & numero & robore ſingulorum regū firmisſimos & maximos exercitus: vident quæ tormentorum, quæ clasſium ſint facultates: poſtremo quos Prouinciæ & Regna, quos Italia, quam peritos & in maximis rebus ſpectatos duces dare posſit, planisſime intelligūt: Ad hæc noſtras de gentibus Aſiaticis victorias meminerūt. Neq; vero Themiſtoclen, Milciadē, aut Leoniden recordātur, qui tam parua manu, infinitas prope cōpias & immenſam Perſarum claſſem fuderunt: Non Ageſilaum, qui magnam Aſiæ partem florente Perſico

ſico regno, exiguis copiis, minimo negocio in pote ſtatem ſuam redegit: Non Alexādrum, Pompeium, Traianum, quibus in Aſia non bellandi difficultas, ſed peregrinationis ſatietas victoriæ terminos ſtatuit: Non ad complures alios cum Græcos, tum Romanos Imperatores reſpiciunt, quorum nō certe ad uerſus eas gentes minores, ſed obſcuriores aliquanto res geſtæ fuerunt: Non poſtremo, (vt de Chriſtianis loquar) ad Gottifredum, Balduinum, Hugonē, vtrunq: Robertum, Philippū & Lodouicum, quorum illuſtres & admirabiles fuere de gentibus illis victoriæ, gloriæ & laudum plenisſimi progreſſus: Sed horum exempla, quorum res geſtæ non hominum memoria, ſed literarum monimētis continentur, paucis propter rerum longinquitatem, atq: iis literarum tantum ignaris cognita ſunt. Meminerunt vero omnes, aut certe à parentibus ſuis audierunt, ingentes ſæpius huius ipſius, cuius inſolentia vix coherceri, aut impotēs fortuna domari poſſe videtur, huius inquam ipſius hoſtis maximas & inſtructiſſimas copias à Pannoniis fuſas & deletas: cum bellicoſisſimi viri, & in Chriſtiani populi cauſa, ardentiſſ. & cum religionis noſtræ ſanctiſſimæ, tum regni ſui fortisſimi & Conſtantiſſ. propugnatores, toties Turcarum cadaueribus ſtrauere campos, Saui, Danubii, Drauiq; flumina, execrabili hoſtis ſanguine infecerunt.

runt. Meminerũt etiam Venetos ita cum hoc hoſte aliquoties naualibus prælíis pugnaſſe, vt quidquid offenſum, fortunæ iniquitati, quidquid feliciter & ex animi ſententia geſtum ſit, hoſtium ignauiæ & im peritiæ, noſtrorum virtuti attribuendum fuerit. Sed eo tanto potentior hoſtis factus. Quaſi ego nunc ſo lis Pannoniis, Venetiſue cum eo congrediendum dicam. Scio potentiorem eſſe, quam aut ab vno ad-uerſario, aut à pluribus, vel etiam ab omnibus male conuenientibus in ordinem redigi poſsit. Sed ſi om nes per te ſocietatem coierint, qui mediocri poten-tia nõnunquam vinci, ſæpisſime ab vno repelli po-tuit, Is quaſcunq: ſit opes conſecutus, à tam multis, tam & ipſis potentibus, & inſtructis inimicis debel-lari vt nequeat? præſertim cum ipſe belli progreſſus noua ſemper noſtris auxilia, noua rerum gerendarũ adiumenta oſtentaturus ſit. Quid enim putamus, qui nuper in Aſia ab illo ſubacti ſunt, ſtabilem illi fi-dem & perpetuam præſtituros? Inuiti illi quidem pa rent: Qui inuitus pareat, rebellandi optatam potius, quam ſperatam occaſionem vt non accipiat? Quod ſi fida illi putamus & firma ab illis gentibus eſſe om nia, non pudeat nos conditionis noſtræ, qui ſem-per nouarum rerum motibus fluctuamus? Sin in-fida & incerta, nobis omnia in ea expeditione ſecun diora fore nemo poterit dubitare. Verum ego

nunc

nunc nihil de belli facultate diſputo: tantum illud dico, pace parta & firmata, quæ res Chriſtiani imperii in præceps ire iampridem cœperunt, tunc demum in ſuam dignitatem & amplitudinem reſtitui; quæ prope iam perdita & afflicta ſunt, hac vna ratione erigi ac recreari, quæ nunc in ſalutis diſcrimen vocantur, hoc vno modo procurari, ſeruariq; poſſe. Hanc tu Adriane populo tuo pacem & concordiam, præſtare poſſe videris: Et voluntatem quidem tuam ad id propenſiſsimam videmus omnes: Officii vero tui, ipſe quidem neque immemor es, neq: ignarus: Facultatem vero tibi huius rei perficiendæ, ſiue eam uitæ dignitate, ſiue rerum vſu & prudentia, ſiue gratia, ſeu poſtremo propriis opibus metiamur, non modo nulli cuiquam vnquam fuiſſe intelligimus, ſed ne futuram quidem maiorem vlli, omnibus dehinc ſeculis ſperari poſſe, nemo nõ videt. De neceſsitate vero temporũ & periculo, res ipſa loquitur. Eſt.n. eiuſmodi, vt aut ſeruiendum iam iam, vel potius pereundũ, aut paci & concordiæ ſtudendum ſit. Iure igitur, iure vniuerſus populus tuus, hæc vt tibi cura prima & antiquiſsima omniũ ſit, & expetit, & depoſcit, & iis quidem & tam multis, & crebris clamoribus, vt eorum ex omnibus Europæ partibus, iſtucuſq: ad aures tuas, voces & ſignificationes ſæpiſsime perferri non dubitem. Neque vero

hæc à me potius, quam ab vniuersa plebe tua, cuius ego volũtarius interpres hæc ad te scribere aggressus sum, dici existimare debes. Eam ad pedes tuos multis cum lachrymis abiectam, obsecrare te & obtestari putato: per fidem sapientiamq; tuam, per ardentissimum istum tuũ sacrosanctæ religionis amorem, per virtutum tuarum certissimam diuinitatem, per augustissima ista à CHRISTO DEO, parenteq; nostro, & Diuorum principibus accepta insignia tua, per vnicum & immortalem DEVM & hominem, à quo & creati, & cuius seruati sumus sanguine, postremo per pulcherrimã, candidissimam, & beatiss. illam virginem, à qua nostra omnis pietas salusq: orta, & per quam propagata, ad summũ demum cultum & honorem profecit, vt ad eas cogitationes mentem, animumq; tuum conferas, quibus placati per te, & ad amicitiam societatemq: reducti principes sui, qui iampridem magno errore cæci, atq: acerbissimis odiis impulsi, in suum ipsorum excidium præcipites ruunt, in salutis viam redeant, & veram aliquando belli gerendi rationem agnoscant: Neq: eiusdem & nominis & pietatis consortibus, quos fratrum loco haberi deceat & oporteat, se iracundos & implacabiles, immanissimo vero hosti, sacris, aris, penatibus, libertati, capiti denique nostro infẽsissimo hosti, lenes & dissolutos præ

beant.

beant. Atq: hæc quanto cum animi dolore, cuiuſcunq: loci, ordinis, ætatis ac fortunæ, præter paucos potentes, ob ſuas inter ſe dimicationes à communis ſalutis ſtudio auerſos, quanto cum fletu & ploratu non viri modo, ſed ipſæ etiam matronæ, neq: matronæ tantum, ſed ipſi medius fidius pueri, ipſæ id à te virgines precantur? Quis.n. per DEVM diuoſq: omnes, ſi ipſe laborantibus rebus non ſuccurras, nõ extrema omnia ſibi à crudeli & nefario hoſte metuat? Ante oculos iam ſunt omnibus, per montes campoſq: noſtros diſcurrentes rabidi illi, & efferati hoſtium exercitus: ingẽti iam claſſe & ad perniciem noſtram inſtructiſſ. non Aegeum modo & Ionium, ſed Superum Inferumq: mare cõmoueri, agitariq: videre ſibi omnes iam videntur. Cuius vero iam vrbis, cuius tã aut ſitu aut opere muniti oppidi expugnationem non metuant, cũ Rhodum iam videãt, qua nihil aut loci natura, aut arte munitius eſſe potuit, Rhodum Chriſtianæ reip. decus, Rhodũ fidiſſimum Chriſtianorum portum, firmisſimam religionis arcem, inſpectãtibus Chriſtianis omnibus, in hoſtium veniſſe poteſtatem? O dolor, o Chriſtiani nominis miſerabilis calamitas. Quis non ingemiſcat? Quis dolore nõ ardeat? Quis DEVM hominumq: & tuam inprimis Adriane fidem nõ imploret? Rhodus, quæ Chriſtianorum Clypeus, Chriſtianorum

ensis appellari solita est, qua vna Byzantii ereptionẽ cõsolabamur. Atq: adeo dum hæc meditor, dum in hanc orationis partem incumbo, in Turcarum potestatem venit. Equites illi fortissimi religionis nostræ milites, omni subsidio, atq: adeo subsidii spe destitutam vrbem hosti dedere coacti, ipsi sedibus suis profugi, ad alienam confugiunt fidem & misericordiam. Si Rhodus per dissensiones, certaminaq: principum amissa est, Ecquæ erit vrbs, quæ domesticis tantum præsidiis, pugnantibus inter se, quos auxilio esse oporteret, hostis ex recenti victoria longe insolentissimi impetum sustinere possit? Sed non vrbiũ tantum expugnationes, agrorum populationes, cæteraq: quæ secũ crudelis & impii hostis victoria apportat, quæq: amplificãdi causa ab oratoribus sæpe exaggerari solent, Seniorũ cædes, puberum miserabiles seruitutes, infantium puerorum in ipsis matrũ gremiis iugulationes, sacrorum direptiones, tectorum ruinas & incendia, virginum raptus, matronarum opprobria, non hæc inquã solum vniuersi homines timent, nec diros etiã corporum suorum cruciatus & lacerationes, atq: vt vno verbo cõplectar omnia, extrema quæq:, quæ à Turcis Christianos pati, fide alienum videri non possit, sed illud illud Adriane timemus omnes, neq: vllum vnquam periculum propius fuit, (nõ possum enim diutius liberã

com-

communis omnium metus vocē continere) ne non modo membris, ſed ipſo etiam capite debellato, ſacroſancta religio noſtra, amiſſo imperio debilitata, fracta & abiecta, maneat quidē, quæ ſtante mundo aboleri non poteſt: ſed ne ſeruiat, ne iis gētibus ludibrio ſit, quibus facile vt imperaret, cultui venerationiq: eſſet, ni tantum ſuis inter ſe odiis principes indulſiſſent, efficere potueramus. Id ne nō modo te pontifice, ſed ne in poſterum quidem vnquā accidat, tuū eſt elaborare, omni ſtudio & vigilantia contendere. Tu in CHRISTI naui gubernator es. In dubia tēpeſtate, dum ſalutis ſpes ſupereſt, boni eſt gubernatoris euigilare: nautas excitare & urgere: ne quid offendatur, omni diligentia & cura cauere. Simul ac nauis vndarū impetu ſuperata fuerit, omnis eſt cura, omne ſtudium inane. Hunc igitur non naufragii tantum, ſed exitii metum cunctatione omni omiſſa, ex hominum animis tuum eſt conuellere. Nolito pati, fruſtra à te auxilium diutius implorari. Multis es precibus, multis votis expetitus. Diuinitus vero creatum te omnes exiſtimarūt. O ne ſpes, ne opinio de te homines fallat: O ne fruſtra, & renunciatione tua tantopere gauiſi fuerint, & abſentem deſiderarint, & præſentem admirati ſint. Appareat nunc reliqua pars promiſſorum tuorum, quæ ad nos ex vltimis terris perferebantur:

ferebantur: valeat illa vox tua, qua primum de creatione tua nuntium excepisti. Nunc nunc illud instat tempus, quo fidem nobis tuam præstare, quo vota & hominum desideria rata efficere possis. Si hoc secus ac speramus & optamus, effluxerit, non tibi, non alii cuiquam illa, qua nos seruare amplius possis, facultas, aut occasio speranda est. Non dubito quin officii tui ratione, quod est iustitiæ, vrgentis periculi magnitudine, quod est prudentiæ ac prouidentiæ tuæ moueare. Sed per fidem pietatemque tuam pater omnium benignissime ac mitiss. populi etiam tui miserabiles & assiduæ complorationes, frequentes & à minime inani metu deriuātes te moueant lachrymæ. O nos sæpe clamitāt miseros, & miserrimis in lucem editos temporibus, O luctuosum ætatis nostræ curriculum, O turbulentum & calamitosum rerum nostrarum statum. Quæ uitæ nostræ pars, Quæ ex omnibus prouinciis vna, Qui Italiæ angulus, ob pestiferas principum inter se discordias & contentiones non fluctuauit? Qui Christiani imperii fines diro & cruento bello non arserunt? Qui campi, qui montes non sunt nostro sanguine aspersi & crudelissimis cædibus fœdati? Atq: hic alius externa, Italica alius, ad Lirim, Tarrum, Abduam, Rhauennam, Vicetiam, Mediolanum, prælia reminiscitur: Crudeles tot florentissimarum vrbium, Patauii,

Brixiæ,

Brixiæ, Ticini, & quas iterum in calamitatis memoria vſurpo, Mediolani, & Rhauennæ, tum vero multo maxime miſerabiles Genuæ oppugnatiões, ac direptiones memoriter recenſent. Hic incenſas à Chriſtianis villas, abacta queritur à Chriſtianis armenta, Direptam à Chriſtianis domum, Raptas à Chriſtianis virgines, Parentes dulciſsimos liberos, liberi parentes, vxor ſibi maritum à Chriſtianis crudeliter cæſum lamẽtatur: O Chriſtiani nominis apud poſteros noſtros infamia. Quæ in Turcas nunquam ne cogitarunt quidem, nec in Turcas feciſſe Chriſtiano ſit nomine dignum, ea in Chriſtianos tam inſolenter, tam crudeliter, tam impie Chriſtianos feciſſe? Sed plecti nos ita fortaſſe oportuit: Dederimus inquiunt, aut meriti alicuius noſtri, aut noſtrorũ principum furoris (quid enim, in tanto animi dolore reticere, aut in tam deteſtabilium temporum, & tantarum iniuriarum recordatione, ſe vt poſsint reprimere?) Dederimus inquiunt pœnas: Perierit res: Dignitas perierit: Perierint liberi: fratres, propinqui, patria, quæ vna omnes omnium charitates complexa eſt, perierit: & nos ipſi poſtremo (ſi ita opus eſt) pereamus. At pietas, religio, ſanctiſsima noſtra religio, quæ nobis in lucem primum editis ſalutem dedit, quæ vita functis ſalutem pollicetur, ea, quorum ope conſeruari propagarique oportuerat, auxilio

omni & ſubſidio deſtituta,iam iam immaniſsimi ho ſtis impetu debilitata vt frangatur, vt minuatur, vt amiſſo imperio, amiſſa poteſtate, ad originum ſuarum tenuitatem vt reuoluatur. Ad has populi tui la chrymas Adriane reſpice. Miſerere per ſanctiſsimũ caput tuum,miſerere. Magna nobis eſt in virtute & ſapientia tua,magna in miſericordia ſpes.Huc ſi curam cogitationemq: tuam, ingenium & ſolertiam, quo te virtutis & ſapientiæ tuæ diuinitas vocat, quo hominum preces incitant, quo præſens periculum impellit,conuerteris,& quod populorum pa ſtorem,& quod omnium cõmunem patrem, quod CHRISTI hæredem & ſucceſſorem, quod Pontificem Max.quod denique Adrianum Pont. decet,ple niſsime præſtiteris:Hominum de te opinioni reſpõderis:expectationi accumulatiſsime ſatisfeceris: Et quod tibi antiquiſsimum omnium eſſe debet, quæ lapſa reſtitueris,quæ afflicta ſunt,ſubleuaueris.Gloriam neque expetendam,nec vero tibi contemnendam puto:ſed certe nulla maior tibi eſſe poterit glo ria,quam quantam mortalium quiſquã ſit vllo tempore conſecutus,meruiſſe.Sin & ipſe, quod ne cogi tare quidem,ne dum proloqui audemus,aliud egeris,in alia incubueris ſtudia, ad aliam,quam ad concordiæ,& tam neceſſariæ expeditionis curam,mentem appuleris, non continuo ſterilis & infœcunda virtus

virtus tua fuerit, cuius plurimos & vberrimos fructus percepimus: non gloria, quam hactenus immensam fere consecutus es, carueris: Felix tu & beatus, quantum in te ipso fuerit, nos miseri, qui ne à te quidē seruati fuerimus: Tu ex primis quibusq: actionibus, magnam laudem fueris consecutus: nos operum tuorum summam desiderabimus. Sed illud omnibus, & haud scio an etiā tibi, miserrimū & acerbissimum, non modo non imperium, non Remp. non libertatem, sed vix religionem quidem, cui tu præpositus es, incolumem & integram futuram sperari amplius posse.

ROMVLI AMASAEI DE PACE

ORATIO.

PACEM CLEMENS Pont.Max. CAROLE Imp. inuicte, Patres amplifs. Principes fortifs. ac generofifs. Legati viri lectifs. AVGVSTAM & fanctam pacem, E DEI fummi ciuitate, electoq: eius populo, cæco opinionis errore iampridem eiectam, ac per tot ante annos, Chriftianis omnibus optatam femper, vix vnquam fperatam, à mente fpirituq: diuino, è cœlo hodierno die demiffam, gratulabundi excipimus, & veneramur. Effectum tandem eft tua Pont.Max. pietate & fapientia, Tua Cæfar clementia & æquitate, Regum, Principum, ac Rerump. facilitate atque humanitate, vt à maximis miferiis & calamitatib. vniuerfæ Chriftianæ Reip. liceat refpirare. Ac fi pace quouis tempore nihil melius, aut optabilius ducimus, quam iucunda & illuftris ea nobis pax effe debet, in qua fola fuit poft innumerabilia ætatis noftræ mala, atq: ingentium bellorum turbulentifsimas tẽpeftates, falutis ac tranquillitatis fpes reponenda? Quæ quoniam pax, non nifi afflictis ac prope perditis reb. à DEO Opt.Max. potuit impetrari, re quidẽ vera iudicandũ eft: Illum ipfum rerum omnium opificem,

ficem & conditorem DEVM, populi ſui licentiam, grauiſsimis animaduerſionib. cohercere voluiſſe: Eiuſdem vero, in minime dubiam perniciem labentis, miſericorditer ad ſalutaria conſilia mentẽ conuertiſſe: vt cum, quæ ipſius eſſet in puniendo ſeueritas, in miſerendo facilitas, maxime perſpicuis euẽtorum indiciis, cognitũ & perſpectũ haberemus, à prauis cogitationib. omniq: fraudum genere, ad rectas honeſtaſq: rationes animũ reuocantes, & ipſum verum atq: vnicũ DEVM, ſanctius ac purius coleremus: Ac tum demum maximis periculis liberati, perpetua in poſterum pace, atq: ocio frueremur. Merito itaq: hũc tu Pater Beatiſs. diem, fauſtiſsimum hunc, atq: optatiſsimũ diem, qui & finem aduerſarũ, & ſecundarum nobis rerum initium attuliſſet, Apparatiſsima ſupplicatione decoratum, ſummorum Sacerdotum, Principum, ac Legatorum frequentia celebratum, Te vero vna cum Cæſare diuinis cerimoniis præſidente, hymnis, cantib. precationib. nobilitatum, illuſtratum, ſancitum voluiſti: Idemque mihi imperaſti, vt quam accommodatiſsima poſſem oratione, hodiernum ſupremi DEI beneficium, ac mirificam clementiam prædicarem: Quod ſane munus, non quod aut ingenio, aut vlla dicendi copia ac vi confiderẽ: Sed eam vnã ob cauſam à me ſuſceptum: quod quæ tu mihi Pater ſanctiſs. imperaſſes, recuſa-

re,nefas atq: impium esse ducerem:iam Patris summi,filii,atq: almi Spiritus auspiciis fretus aggrediar. Ac primum quidem, dum pro tempore, breuius, pro facultatis in dicēdo meæ tenuitate,summissius, quam & rei tantæ dignitas ac magnitudo, & huius consessus amplitudo, ac celebritas postulat, de pace, ac de hodierna maxime pace verba facio, Te Pont. Max. Te Imperator Augustiss. oro atq: obtestor, vt actionis meæ cursum, Diuinitatis, ac Maiestatis vestræ aura prosequamini. Vos etiam obsecro Patres amplíss. Principes ornatiss. Legati, Viri spectatiss. vt me attente, ac benigne auscultetis. DE PACE attentius cogitanti, cum tam ingens, ac multiplex se mihi materies offerat, vt non tam copiam, quam in dicendo modum quærendum intelligam, Ipsa mihi quam facillime ratio persuadet: Quæ in rerum natura constant bona,pulchraq: omnia,Pacis ipsius ui,ac potestate contineri:Atq: hanc ab initio, è diuina mente, ac sapientia extitisse: Quæ vniuersi compagem,quem mundum dicimus, stabili partium societate, mutuoq: nisu tueretur. Etenim si rerum inter se diuersarum consensio, ipsam vniuersitatem, idest immutabilem, ac sempiternum efficientium causarum, & effectorum omnium ordinem conseruat, aut eam ipsam consensionem,aliud esse quam pacem statuendum est: aut si ea pax est, cuncta-

cunctarum certe rerum conseruatio, vni huic accepta, pulcherrimæ, atq: optimæ diuinorum operum custodi, fuerit referenda. Nihil profecto quidquam possumus fingere animis, cogitationeue, aut oculis, pulchrius, ac vtilius comprehendere: quam cœlestium sit, terrestriumq:, ac humanarũ rerum, æquabilitas, ordo, & constantia: Atq: hanc tantam, tam admirabilem, ac prope infinitam pulchritudinem, & vtilitatem, quæ res alia potuit efficere, quam consensionis & conueniẽtiæ vis, quam pacem appellamus, diuina prouidentia, ac diuino spiritu mundi (vt ita dixerim) corpori, eiusq: singulis membris, infusa & admista? Quod sane nemo dubitarit: nisi qui aut illud supremum, igneis orbibus distinctum & ornatum, DEI summi domicilium, aut harum, quas animantes incolunt sedium molem, aut postremo, animorum, aut animantis naturæ, vigorem, sensum, motum, neq: oculis cernere, neq: mente possit, aut intelligentia consequi: Quid enim in his, non ordinem locũq: suum obtinet? nõ certos ratosq: motus ciet, æternæ pacis inuiolabili lege? Intueamur summũ illum, & altissimũ cœli ambitũ, atq: inhærentia ei sydera, motumq: eius omnẽ, & perpetuã conuersionem: Intueamur earum, quæ errantes dicuntur, stellarũ, ac lunæ, solisq:, orbib. suis, ac temporũ momentis, descriptos cursus: Atq: illinc ad concreta,

atq:

atq: è diuersa ac dissimili materia constantia corpora, quæ elementa dicimus, mentem atq: oculos referamus: & eorum quæ sit coniunctio, & quasi compactio contemplemur: intelligemus profecto, quod hæc omnia pro rata sua parte ac portione, suis funguntur muneribus, ac mutuo sibi complexu, ac temperatione vicissim deseruiunt, & obtemperant, rerum omnium primordia, lucis ac tenebrarum, æstus & frigoris vicissitudines existere: Animantes spiritum ducere: cuncta foueri, coalescere, augeri: & partes singulas, ad totius perpetuitatem propagari. Atq: hæc diuinæ illius pacis, cuius mihi est hodierno die toties nomen vsurpandum, vi effecta sunt. Per hanc.n. firmo arctoq: nexu, quam sapiens Poeta auream cathenam appellauit, cum imis media, cum his summa vinciuntur & copulantur: per hanc diuersæ, ac natura etiam dissidentes formæ, ab longinquo extremoq: ambitu, paribus & æqualibus interuallis, ad medium & intimum quasi punctum, ad ipsius scilicet æterni DEI maiestatem, ac potentiam referuntur, & reuocantur. Atq: ab hoc veluti fonte, omnis, quam vel sensu percipimus, vel animo, ac ratione lustramus, vtilitas & pulchritudo deriuauit. Quod si DEI permissu, eæ, quas ante nominaui partes, facto impetu se inuadant, ac locis ordinibusq: suis, alteram altera deturbare contendāt,

aut

aut mutuum etiam ſibi auxilium ferre recuſent, Quæ vis iam obſiſtere, aut prohibere poſſit, quin ſtatim vniuerſam hanc mundi machinam, humorib. dilui, ardoribus conflagrare, tenebris obduci, diſsipari poſtremo, atq: interire videamus? Age vero quæ aut propria ſunt hominis bona, aut ei adiuncta ac familiaria conſideremus: Quis eſt tam ſenſus communis expers, quin ea intelligat, ipſa in primis pace niti, ac ſuſtentari? Præclara ſunt atq: admirabilia, quæ in humanis animis inſunt, bona: quæ cum partim ad cognitionem, partim vero ad actionem referantur, iis certe quæ cognoſcendi partes ſunt, bene inter ſe conuenientibus, puriſsimum emicat, atq: efficaciſsimum intelligentiæ lumen. At ſi qua vi, aut offenſione confundantur, aut perturbentur, obtundi neceſſe eſt humanæ mentis acumen, Iudicium labefactari, ſubuerti memoriam & cõminui. Iam vero in vitæ actionibus, ſi fuerint animi noſtri motus rationi conſentanei, quãtus in dictis factiſq: omnibus, virtutis, & cum virtute coniuncti officii decor, & pulchritudo eminet, atq: eluceſcit? Quod ſi ii per diſsidium & diſcordiam, à recti, rationis ſcilicet ipſius officio diſceſſerint, quid cogitari, diciuè, aut geri poteſt, niſi vecorditer ac turbulente? Maxime expetitur, atq: etiam neceſſaria ad corporis animiq: munera obeunda, bonã valetudo ducitur:

tur: At qui ea quatuor, quibus in primis vitalis ipsa vis alitur, ac fouetur, humorum consensu, & amicitia conseruatur: per eorundem vero pugnã, & quasi tumultum, variis ac plerunq; perniciosis morborũ generibus affligitur, & euertitur. Quid dicam de fortunis? quæ non tantum in bonis ducuntur, sed ex communi etiam loquendi vsu, solæ sibi bonorum nomen vindicant? Illæ quidẽ, saluo iure ac iustitia, quæ sunt humanæ societatis vincula, idest vigentę hominum pace, & concordia, saluæ vnicuiq; & incolumes esse possunt: Quod si plus sibi homines appetant, quam humanæ coniunctionis ius, cuius est omnis ex pace orta ratio, patiatur: id vnum certe in causa est: vt sæpissime, illinc aliena inuadendi cupiditate incitatis, hinc iusta in suis retinendis ira inflãmatis, dissidentium partium animis, agi, ac rapi omnia, Vrbes & agros vastari, sacra & profana violari, suas cuiusq; opes, imperium, honestatem, caput etiã ipsum, in periculum & discrimen vocari videamus. Quod si minus ex iis, quas præsertim tam breuiter collegimus rationibus, summa, ac plane diuina pacis vtilitas, ac dignitas deprehenderetur: non eam credo nobis sapientissimorum hominum sentẽtiæ comprobarẽt. Atq; è Græcis quidem, clarum sapiẽtiæ laude hominem, carminibus vaticinatum ferũt: quæ in rerum natura, totoque mundo constarent,

quæq;

quæq; mouerentur, amicitia contrahi: discordia dissipari. Exime, alius inquit, ex rerum natura consensionem, & beneuolentiam. nec domus vlla, nec vrbs stare poterit: nec agri quidem cultus permanebit. E Poetarum vero numero, sunt qui pacem bonorũ custodem, hominum altricem, qui iustitiæ sororẽ, qui almam, qui rerum omnium iucundissimam appellant. Sed horum fortasse testimonia minus ponderis habere videantur: quod iis vixere temporib. quibus nondum veræ sapientiæ lumen hominibus affulserat. Sed quid sanctissimi, ac religiosissimi viri, pietatis nostræ locupletissimi autores? an non hi dignissimi sunt, quorum omnis diuinitus emissa in hominum aures vox, pro oraculis habeatur? Atq: ex his quidem (ne omnes nominem) Paulus religionis nostræ firmissimum columen, Augustinus, Ambrosius, Hieronymus, Gregorius, quos honoris ac venerationis causa nomino: vno consensu, atq: vna prope & eadem voce, quoties pacem summe salutare, atq: ex omnib. maxime expetendum bonum esse prædicant? & ad eam in primis amplexandam homines adhortantur? Pacem inquiunt sequimini: sine qua nemo DEVM videbit. Pacem qui accipit teneat: qui perdidit repetat: qui amisit, exquirat: abdicatos & exhæredes DEI filios, qui pacem aspernentur, appellant: iidem venturam ad eum nunquã

DEI hæreditatem, qui pacis testamentum non obseruet, exclamant ac minitantur. Quam sæpe odia, atq; inimicitias detestantur? quam multa de reditu in gratiam præcipiunt? quam pie, quam grauiter, quam etiam eleganter immensa, quæ per pacem hominib. bona DEVS impertitur, commemorant? Sed quid horum quilibet de pace senserit, ac scriptum reliquerit, iccirco prætereo: quod diuinarum omnium, atq; humanarum autoritatum, ille nobis instar esse debet, qui non veridicus aut sapiens, sed ipsa est veritas & sapientia, CHRISTVS. Et is quidem cum sua iustis, innocentibus & integris hominibus, præmia polliceretur, quod præmium omnium maximum esset, iis attribuit, quorum ad pacem voluntas, & consilia spectarent. Non enim beatos tantum eos fore pollicitus est: sed filii, inquit, ii DEI vocabuntur. Idem vero quam grauibus, quam etiam expressis verbis est discordiam execratus? Omne inquit regnum dissidens desolabitur, & omnis ciuitas, vel domus dissidens nō stabit. Quid autem frequentius iis, quos diligeret, cum inter homines versaretur, quosq; gratia, numinisq; sui præsentia dignos duceret, quam pacem est ominatus? Pacis cum congrederetur, pacis cum discederet, nomen vsurpabat. Pacem iussit familiares, ac discipulos suos, in quamcunq; domum intrassent, comprecari: quod

scilicet

ſcilicet vbi pax eſſet, ibi ſe eſſe, vbi ipſe eſſet, læta ſciebat eſſe,ac ſecunda omnia. Iam vero à Patre, in celſam illam,atq: æternam cœli ſedem euocatus,iiſdem diſcipulis, quos patrimonii quaſi ſui hæredes eſſe voluit, pacem ſuam tradidit: pacem ſuam reliquit.O admirabilē hæreditatem: O vera Aeterni patris bona.Non regna ille omnium regnorum dominus,non opes, non aurum, non prudentiam deniq: aut temperantiam, aut cætera, quæ in bonis homines ducūt: Sed pacem,qua vna omnes mundi partes,omnia regna,omnes opes, omnia corporis animique bona continentur, pacem dedit: pacem reliquit. Sed cum de pace in vniuerſum ſatis in præſentia multa dicta ſint: De hodierna iam pace dicendum eſt. NVLLAM ego vnquam inter Chriſtianos Principes pacem factam eſſe arbitror, Quæ amplitudine,dignitate, diuturnitatis ſpe,atq: opportunitate, poſſit cum hodierna pace comparari. Reſpiciamus, quoad longiſſime humana mens poteſt,præteriti temporis ſpacium: pueritiæ memoriam vltimam recordemur: omnia fœdera, omnes imperioſarum gentium, & potentiſſimorum principum conſenſiones & conſpirationes, ex omnib. antiquitatis monimentis colligamus:Nunquam profecto inueniemus, tanto conſenſu atq: alacritate, tam multas in vnum reip.partes, ac tam breui tem-

pore conueniſſe:Atq; in commune prope, non ſententias tantum, ac voluntates, ſed opes etiam, copias & facultates ſuas contuliſſe. Atque huius quidem pacis amplitudinem facile is perſpiciet: qui tacita fuerit perſecutus cogitatione, quot principes, aut per ſe, aut per legatos ſuos, ſpectatisſimos & grauisſimos viros, in huius pacis ſanctisſimas leges iurarint, ac ſocietatem inter ſe coierint. Quæ enim Chriſtiani nominis pars, pace hac non comprehenditur? Quæ DEI ſummi certisſimo numine aſpirante, Clementis. VII. Pont. Max. Caroli. V. Cæſaris Auguſti Imperatoris inuicti (Vtrunq: ſanctitatis, & maieſtatis cauſa nomino) hortatu, auſpiciis, ductu, autoritate, hodierno die, in hoc ſanctisſimo delubro, ad illud ſacroſanctum DEI altare ac puluinar, ſacris rite ſuſceptis & peractis, ſancita eſt & conſtituta. Hãc ſibi pacẽ FRANCISCVS Galliarum Rex, vir bellicoſiſsimus, & opulentiſsimus, idemq; omni regali laude præſtantiſs. neque communi tantum maiorum ſuorum cognomine, ſed ſenſu etiam, & voluntate ſua Chriſtianiſsimus, optatiſsimam & iucundiſs. eſſe, per Legatos teſtificatur. Hanc HENRICVS Britãniæ Rex, vir ſumma virtute, neq: in bello acrior, quam pacis & concordiæ amantior, nouis nuper legatis miſsis, comprobauit. Quid IOANNES Luſitaniæ Rex, vir cum paternæ gloriæ ſtimulis, tum ſua animi

nimi magnitudine, ad nouas & ante ignotas mundi partes indagandas, atque ad veri DEI cultum addu cendas, mirifice incitatus, nonne is aſsiduis precibus iam diu vt hæc pax fieret, & adhortatione cõtendit? Quid vero de Cæſaris fratre FERDINANDO Pannoniæ Rege dicam, viro non modo generoſiſsimo, ac fortiſsimo, ſed vno etiam ad Turcarum furorem comprimendum, atque impetus propulſandos para tiſsimo? Quoties ille per Legatos, literaſq: ſuas, pa cem expetiuit? De SIGISMVNDO vero Poloniæ Rege, ſene prudẽtiſsimo, atq: in impiis, ac finitimis hoſtib. debellandis, exercitatiſs. quid attinet dicere? Quanta is lætitia hunc de pace nuncium excipiet, Qui ſemper à Chriſtianorum diſcotdiis, ac diſſenſionib. non loco ipſo modo abfuerit, ſed animo etiã & conſilio abhorruerit? Atque hi quidem extra Italiam omnes, ad communem Reip. cauſam, voluntates ſuas aggregarunt: & iidem, & ante cum Cæſaris imperio conſpirarunt: & hodiernam pacem magno animorum aſſenſu, & certiſsimis auxiliorum promiſſis, ac pollicitationibus, ad bellum contra impios, atque infenſos nomini noſtro hoſtes, ſuſcipiendum, ac gerendum, ratam fecetunt, & approbarunt. Iam vero, in Italia primum florentiſsima VENETORVM Reſp. quæ plurimum ſemper domeſtica diſciplina, terreſtrib. copiis, & nauali gloria valuit ac floruit: Dein-

Deinde FRANCISCVS SFORTIA Mediolani Dux, vir ingenio,& virtute singulari,ac firmissimo animi robore inutraque fortuna ferenda præditus, vnius concordiæ studio adducti, non libenter tantum,sed etiam alacrirer,propositas sibi pacis conditiones ac ceperunt. Ad horum autem consensum,suam,quam egregia voluntate sententiam adiunxit, Clarus genere, Clarus iusti moderatiq: imperii laude CAROLVS Sabaudiæ Dux? FEDERICVS vero Gonzaga, Mantuæ Marchio,nō familiæ modo splendore illustris, sed spectata etiam in magnis imperiis, quæ Pont. Max.& Cæsaris auspiciis gessit, virtute ac fide, is certe præsens nuper declarauit: nunquam se ad iustam paucorum causam,opibus armisq: iuuandam, quam ad communem hanc pacem, studio ac sententia sua comprobandam, paratiorem fuisse. Neque in hac principum enumeratione, prætereundus est adolescens nobilissimus, summa in dole atq: eximia spe BONIFACIVS Montisferrati Marchio: Ipse etiam nuper coram,in Pont.se & Cæsaris fide ac potestate perpetuo futurum, planissime ostendit. Cum quanta præterea officii sui testificatione, & in pace amplectenda studio, & GENVENSIVM illustris in Liguria ciuitas, quæ permultum semper clasi se,maritimisq: rebus valuit: & in Hetruria SENENSIVM, ac LVCENSIVM, quæ & suis opibus, &

Cæsaris gratia maxime vigent, vt huius pacis conditionibus illigarentur, contenderunt? Quod si qui sunt adhuc, à tanto ac tam communi omnium consensu alieniores, & ipsi etiam breui vt resipiscant, optandum & sperandum est: Et profecto resipiscent. Qui enim credi potest, illam vim ac DEI nutum, qui tot iam prope perditos, ac profligatos populos, per tam multorum, ac tam potentium principum pacem, ad salutis certissimæ spem excitauit, ab vno & altero, aut Principe, aut ciuitate auersum fore? Sed quid ea pace amplius omnino fieri, aut cogitari potest, in quam non modo præstantissimæ, sed plane omnes, quod sæpe tentatum, nunquam ante effectum est, Christiani Imperii partes consenserunt? Iam uero quāta sit eius dignitas, est certe hominum præstantia metiendum. Quid autem, aut iis qui paci conciliandæ præfuerunt, Pontifice scilicet Max. & Imperatore, quam late Christianum nomen patet, sanctius, aut sublimius? aut quid potentissimis Regibus, qui eorum autoritatem secuti sunt, magnificentius? Quid optima Rep. nobilissimis principib. florentissimis ciuitatib. clarius? Que uero erit vnquam pax diuturna? quæ satis firma, ac sancta societas, si hodierna pax (quod Deus omē obruat) quam nobis ostendit spem atq: expectationē fefellerit? Est certe infirma & instabilis vitæ conditio: spes homi-

num

num fallaces : lubrici maxime votorum euentus: Sed ipſa primum nobis, minime dubia humanarum rerum uiciſsitudo, hanc, de qua nunc agimus, pacis diuturnitatem præſtare quodãmodo videtur. Nam cũ tota fere ætas noſtra, ex acerbiſsimis Principum, ac populorum diſcordiis, atrociſsimis bellis fuerit infeſta, conſentaneũ certe eſt, adeſſe iam illud tempus, quo (niſi ſuam DEVS Ciuitatem, quod eſt maxime ab eius infinita miſericordia alienum, funditus uelit delere, à turbulentiſsima calamitoſiſsimorum temporum agitatione conquieſcamus. Atq: ad reliquam diuturnitatis ſpem hoc etiam accedit: quod neq: ui, neq: metu, ſed quod pacis proprium eſt, libero conſilio, ac uoluntate, ſunt omnium repente cogitationes, odiis reſtinctis, atq: armis abiectis, ad concordiam, & amicitiam conuerſæ: Tantumque omnino abeſt, ut ulla in hac pace ſimulatio verſetur, vt non forma tantum priſtini inter ſummos Principes belli ſublata, ſed ipſa etiam litium, & concertationum recordatio euanuiſſe uideatur: Vicit tandem temeritatem ratio: æquitas contumaciam proſtrauit: euertit elationem animi manſuetudo: fides, & odia reſtinxit, & ipſam etiam inimicitiarum memoriam aboleuit: Iuſtitia, & pax oſculatæ ſunt, Veritas de terra orta eſt: & iuſtitia de cœlo proſpexit: Et quiſquam dubitabit quin firmisſima, atque adeo indiſ-

indiſſolubilis, futura ſit ea cōcordia, quæ ſit per ſummas, & maxime diuinas virtutes conglutinata, & in qua, vis victa iure, mitigata ſit acerbitas lenitate? Quod vero caput eſt, & vatum monitis, & virtute tua freti CÆSAR, eiuſmodi bellum, terra, marique, primo quoque tempore, à te apparatum, ac ſuſceptum iri confidimus: Vt cum ſemel Chriſtiani longe à domo, atq: à viſcerib. ſuis, arma promouerint, ac quæ ſit, experti fuerint, eorum bellorum dulcedo, in quibus & vincere optabile, ac ſalutare, & cadere, pium & glorioſum, nunquam in poſterum, ad ea certamina animum & cogitationem referant, quorum non facile quis dixerit, miſerabiliores ne ſint clades, an magis infames, & lugubres victoriæ. Dixi de pacis amplitudine, dignitate ac ſpe diuturnitatis. Ad eius nunc opportunitatem venio: in qua, & calamitates, ac pericula maxima depellendi, & optatiſsimam felicitatem comparandi, certiſsima ineſt ſpes. Nam quæ potuit eſſe pax opportunior, quã quæ diuinitus in id tempus incidit: Quo (niſi nos DEVS reſpexiſſet, mẽtemq: à ſeculi noſtri fraudum, ac ſcelerum animaduerſione, ad miſericordiam ac lenitatem traduxiſſet) nihil vnquam propius fuit, quam vt cuncti fere Europæ populi, per implacabiles principum diſcordias, ferro, fame, morbo, vaſtitate conſumerentur? Pulcherrimæ vero Chriſtianæ

M Reip.

Reip.partes,teterrimo atq: à lege,victu, moribusq: nostris alienissimo hosti, prædæ,ac ludibrio essent: Ac postremo diuina religionis iura, quæ ab animorum sempiterna nos pernicie vindicant, à tot retro seculis sanctissime custodita,non falsis tantum,& iniquis interpretationibus vitiarentur,sed nouæ etiam sectæ furore, & amentia, è magna Europæ parte exterminarentur?Non committam,vt in tanta hodierni diei,ac tam singulari lætitia, præteritorum malorum memoriam refricem. Itaque non commemoro agrorum populationes:non vicorum exustiones: non sacrorum, & profanorum capitum violationes prædico:omitto præliorum strages:Taceo tam multos,ac tam paratos ad pugnam Christianorum exercitus,per hos.xxx.annos, funestissimis dimicationibus deletos, vt vel singuli ad impias gentes oppugnandas,ac debellandas, satis multum fuerint viriū habituri.Prætereo ætatis nostræ innumerabiles alias calamitates,ac miserias, quarū non modo impetum expauimus, sed nunc etiam recordationem ipsam reformidamus: Atque horum quidem, quæ relinquo,omnium,nihil tam fuit deprecandum,quod nisi à DEI summi bonitate hæc esset pax principum Reip.animis illapsa,aut aliquid etiam eo grauius, ac miserius passuri non videremur. Atque id quidem nemo iam plane erat,qui non metueret. Quid vero ea

ro?ea pericula, quibus præſens,ac certa peſtis, à lon ginquioribus quaſi membris, ad ipſa Reip. vitalia ſerpebat, Animo dumtaxat,& cogitatione percipie bamus: ac nõ ipſis etiam ferme oculis cernebamus. Erat credo obſcurum, quid ſæuus ille, & crudelis Turcarum Tyrannus,communis Chriſtianorum,& ſempiternus hoſtis moliretur, ad quas orbis terræ ſibi partes viam affectaret: At ille quidem, & ante ſemper,obſeruatis diſcordiarum noſtrarum tempo ribus, ad aliquam Imperii noſtri partem inuadendam ex inſidiis proſiluit(Neq: enim ad ea,quæ nunc poſsidet,occupanda, magis bellica virtute, aut copiarum magnitudine, ac robore vſus eſt, quam noſtrarum diſſenſionum occaſione)Sed idem ille cum Aſiæ & Aegypti imperio non contentus, Europæ multas regiones, miſerabili ſeruitute oppreſſas teneat,Byzantium alteram Imperii ſedem,Thraciam, Macedoniam,Theſſaliam,Euboeam, Græciam, Peloponneſum, Epirum, magnam Dalmatiæ partem, ac poſtremis hiſce temporibus,in poteſtatem ſuam redactam,inferiorem Pannoniam,nimirum ad Germaniam nunc animum adiiciebat. Ac niſi nuper à Vienna regia ſuperioris Pannoniæ Vrbe,ad quam omnibus opibus,atque operibus oppugnandam fuerat aggreſſus,Ferdinandi Regis,viri clariſsimi,& fortiſsimi, virtute ac vigilantia repulſus fuiſſet, minus

certe matura (ne quid grauius dicam) de pace fuiſſemus conſilia inituri. Illa enim ſi præſidia, illud Reip. noſtræ ſi propugnaculum expugnaſſet, Quid aliud iam erat expectandum, niſi vt Germaniam, ac Italiæ pulcherrimas, & nobiliſsimas partes, non excurſionibus tantum, ſed perpetuis etiam Caſtris, infeſtas redderet? agros & oppida ad vaſtitatem redigeret? DEI, ac DIuorum templa, hominumque ſedes fœdiſsimis cædibus cruentaret? Et hoc quidem noſtro, coniugum, liberumque noſtrorum capiti, ac fortunis periculum impendebat. Alia vero extiterat labes, ac certiſsima religionis corruptela: quæ ſi inualuiſſet, non illa quidem mortali huic & caducæ vitæ periculum creaſſet: ſed animos æternis, ac diris cruciatib. damnaſſet. Diſsidentibus enim de imperio principib. atque ita, vt fit in maximis bellis, aliud curantibus, quæ clam ante obrepſerat, iam ſe efferebat, atq: oſtentabat, ſcelerata illa nefariorum hominũ factio: quæ vetere ac diuina lege, aut abrogata, aut deprauata, inexpiabili introducta voluptatum ac libidinum licentia, imperitam multitudinem à vera pietate ac legis comprobata, & ſancita obſeruatione auertebat. Atq: hæ quidem cum bello, in Rempub. peſtes, atq: intoleranda confluxerant mala: quæ pacis tranquillitas, aut iam compreſsit, aut ſola certe in poſterum poterit compeſcere, ac propulſare.

Itaque

Itaque cum primum de pace agitari cœptum est, ipsam fere pacis spem, & agrorum inopinata fertilitas, & summa cœli salubritas cōsecuta est: Insolentē vero illum in nostris discordiis, ac terribilē hostē, in pace, atq; ocio segnem, ac timidū, vnus hic de pace rumor, à Viennæ ante mœnibus repulsum adegit, vt è Pannonia, quo ante milites in hyberna deduxerat, in Thraciam, ac Byzantium, suum illum infelicissime nunc omnia conatum exercitum reportaret. Iam vero improbi, ac scelerati impiarum coniurationum duces, & autores, quo tādem animo, quam debilitato & fracto, accipient, remp. conuenisse? fore iam legibus, & iudiciis locum, a sibi, aut statim à pristino furore, atq: amentia mentem reuocandam, aut grauissimas vecordiæ, ac pertinaciæ suæ pœnas subeundas? O faustam, & diu optatam pacem, per quam non sensu tantum, ac voluntate coniungimur, sed respiramus etiam, ac reuiuiscimus. Et quales iam constitutæ, & confirmatæ fructus futuros existimamus, cuius tam fuerit ipsa spes salutaris? Quid quod non salutem tātum, & perpetuam à molestiis vacationem, sed felicitatem etiam, ac certissimam hodierna pax nobis gloriam pollicetur? Mitto perspicua illa, & quæ pacem semper, nō aliter quam vmbra corpus, bona cōsectantur: Tranquillam ciuitatum libertatem: agrorum vbertatē:

sobolis

ſobolis propagationem: libera, ac tuta populorum commercia: Mitto, quod quæ bellicis furoribus per culſa, ac proſtrata iacebant, ſe efferent, & erigent lit terarum, atq: ingenuarum artium ſtudia: quorum eſt cultus, & bene conſtitutis ciuitatibus, & optimo cuiq: principi, maxime honeſtus, & neceſſarius. Ac vigebit pacis comes, ociique ſocia eloquentia. Sed hæc, & alia multa prætereo: non quia maxime expe tenda non ſint: ſed quod in promptu ſunt, ac prima ſe, pacis vtilitates intuētibus offerunt. Quæ poteſt autem maior, noſtro ſæculo felicitas contingere? quam ſi eæ, quas paulo ante nominaui, imperii noſtri partes, è diri, feriq: hoſtis manib. extorqueātur? atq: ii populi, quos ille iniquiſsimo dominatu oppreſſos per. LXXX. iam plus annos, probris, dedecore, contumeliis affecit, duris atq: intolerandis imperiis afflixit, omni deniq: crudelitatis genere lacerauit, à miſerabili nunc, ac diuturna ſeruitute vindicētur? Et quod eſt certius huius pacis propoſitum, cui & ſuſcipiendæ in Turcas expeditionis, & Chriſtianorum liberationis cauſa ſubſcripta eſt? Et quæ te alia Cæſar cauſa, ex vltimis terris in Italiam euocauit? niſi vt pace Reip. reddita, inuictos exercitus tuos contra tetram illam, & efferatam ſanguine noſtro belluam conuerteres, ac ſuam Pannoniæ, ſuam Græciæ, ſuam tot Chriſtianorum nobiliſſimis populis

pulis libertatem redderes? O dulcis recipientib. libertas, reddenti gloriosa. Illi ad te Cæsar, ex florentium olim Vrbium ruinis, & cadauerib. squallore, & fœdo corporis habitu obsiti, macie ac pallore perempti, supplices manus tendunt, tuum sibi promissum toties vatum prædictionib. ac diuinis oraculis nomen, tuam fidem, tuam misericordiam, taciti, ac metu compressis vocib. implorant: aut per te nunc se libertatem consecuturos, aut perpetuis durissimæ seruitutis miseriis damnatos intelligũt. Neq: vero dubitant, quin voluntati, votisque tuis, certissima sit victoria responsura: Ex fama enim ipsa (quæ, quin quo velit peruadat, nullis potest minis terreri, nullo proposito metu, aut pœna coherceri) satis iam cognoscunt, te virtute, autoritate, felicitate, bellicis, atq: Imperatoriis artib. non solum æqualibus tuis omnib. anteponẽdum: sed cum maximis, ac præstantissimis superiorum omnium ætatum imperatorib. comparandum: Illo vero, cui nũc seruiunt, impio, atque impotente domino, adiunctis præsertim ad opes tuas sociorum auxiliis, classium, commeatuum apparatu, copiarum etiam magnitudine, minime inferiorem, robore vero, longo interuallo superiorem futurum intelligunt. Quamobrem si eorum aliquando locorum, vel extremas oras, ac litora attigeris, continere se non poterunt:

quin

quin ſe vltro ad te cum coniugibus, & liberis effun dant. Atq: hæc Cæſar proculdubio populorum libe ratio, nomen tuum immortalitati conſecrabit. Sed non his tamen eſt finibus gloria tua circumſcripta. Speramus enim (& quæ poteſt eſſe de tam excellenti virtute tua, tantaq: apud ſummum DEVM gratia, vana hominum expectatio? aut quæ non eſt tam multis, ac minime inter ſe diſcrepantibus vatum reſponſis fides habenda?) Te inquam ſperamus, vniuerſæ Europæ imperiis conſtitutis, in Aſiam fugien tium, ac fuſorum hoſtium reliquias perſecuturum. Ac multi iam tempus illud cogitatione complectũtur, quo Hieroſolyma ingreſſus, ſanctisſimum illud monumentum venerabundus oſculabere, in quo membra ſua condi voluit, qui per mortem ſuam, ad æternam vitam nobis aditum patefecit: Atq: inde, in Italiam cum victoria, & triumpho reuerſus, in hu ius Sanctisſimi Patris conſpectu, pro tam ingentibus, ac tam feliciter geſtis rebus, nuncupata DEO vota perſolues. Qua te hic ipſe Pont. Max. qui nunc veræ, ac ſolidæ gloriæ iter ingredientem, tanto te amore, & charitate proſequitur, gratulatione excipiet? Quos tibi, & quam prope diuinos honores decernet? Quis vero ex hac auguſtisſima ſacroſanctorum hominum, & illuſtrium principũ corona, cũ te intuebitur, non innumerabiles victorias tuas,

atq:

atq: incredibiles prope maximarum rerum euctus obstupescet? Quis gaudii tibi sui certissima signa, non voce solum, ac plausibus, sed ipsis etiam præ gaudio effusis lachrymis, non impertietur? O expectati temporis felicitas: O beati qui maximis periculis, ac malis defuncti, ad hodiernæ sunt pacis lætitiam reseruati: Quanto vero beatiores, qui ea bonorum summa, quam hæc ipsa confecerit pax, perfruentur? Sed quoniam hic hodiernus dies, & imminentes calamitates depulit, & ad optimam nos in posterum spem erexit. DEO Opt. Max. primum, à cuius est numine, ac benignitate pax profecta: Deinde summis Reip. principib. qui è cœlo precibus euocatam, ac suis conceptam diuinitus animis, tam liberaliter cum cœteris communicarunt, ea, quam oratione consequi possumus, grati animi pietate, sunt gratiæ nobis agendæ. Agnoscimus IESV CHRISTE Summi Patris Fili, tuam in populum tuum Clementiam, & adoramus. Tu proprio primum nutu, atq: immensa ductus benignitate, Almæ deinde parentis tuæ, reliquorumq: cœlitum deprecationibus exoratus, in difficillimis, atq: angustissimis temporibus, pestem à nobis, ac perniciem depulisti: Tu sæui, & immanis hostis accensas in fana tua, tectaq: nostra, faces extinxisti: Tu gladios eius à iugulis, ac ceruicibus nostris auertisti: Tu nos afflictos odiis, ac

N iam

iam diſcordiarum tabe conſumptos, cœleſtis pacis tuæ remediis recreaſti: Tuæ deniq: mentis ſerenitas diuturni erroris noſtri caliginem diſpulit, ac disſipauit. Tibi vero Clemens Pont. Max. Quas vniuerſa CHRISTI Reſp. fidei, ac pietati tuæ credita, & commiſſa, gratias habeat? Cuius ſemper animus pacis ſtudio, atq: amore flagrarit? Qui, dum per maximas rerum, ac temporum difficultates, mẽte, fideq: optima, ad pacem contendis, vitam tuam deuoueris, atq: in certisſima pericula caput conieceris? Tua certe nos prudentia, Tuum iſtius altisſimæ mentis conſilium, Tua animorum pertractandorum peritia, Tua deniq: tolerantia ac patiẽtia, hodiernæ nos pacis compotes fecit. Valuerũt illæ repetitæ toties ſupplicationes tuæ. Vota concepta, ac nuncupata, caſte, ac pie ſuſceptæ precationes, effuſæ toties, quarum iſtæ aræ, ac ſanctisſimi foci teſtes ſunt, pacis deſyderio lachrymæ, valuerunt. Tuam vero CÆSAR Imp. omnium optime, atq: inuictisſ. magis ne animi magnitudinem, bonitatem, ac manſuetudinem prædicemus? an vero pietatem admiremur? Tu quidẽ propenſam ſemper ad pacem, & cõcordiam, voluntatem præ te tuliſti. Tuus vero iſte magni, & excelſi animi vigor, turbulentisſimis temporib. nulli neq: homini, neq: animi perturbationi, neq: fortunæ ſuccubuit: Ac cum multa grauisſimis potentium inimicorum

eorum iniuriis lacesſitus, iuſta, ac neceſſaria etiam bella ſuſceperis, & ſumma celeritate cōfeceris, eas, quas tibi ipſa prope victrix veritas, & cauſæ tuæ æquitas detulere victorias, quod ſine ſumma Chriſtiani populi iactura contingere non potuerunt, triſtes ac luctuoſas putaſti: Neque id vultu tantum, ac verbis, ſed lachrymis etiam es, & obſoleto habitu teſtificatus. Tu maxima regna, tu vitam ipſam iis hominib. quos tuæ poteſtati victoria ſubiecerat, condonaſti, atq; eorum exiſtimaſti bellandi cupiditatem, non armis, & Imperio comprimendam, ſed liberalitate, & animi moderatione reſtinguendam. Vbi vero prima pacis emicuit ſpes, eius tu ſpei quaſi ſcintillam, non legationib. tantum, & cohortationib. ſed tui etiam aduentus celeritate īnflammaſti. Atq: hæc quidem inuſitatæ, ac omnibus ſæculis inauditæ animi magnitudinis, ac lenitatis documenta fuerunt. Ad tuæ vero pietatis laudem, quis iam poteſt cumulus accedere? Tu cum ouans in hanc florentiſs. Vrbem, cum ingenti omnium ordinū plauſu, & exultatione intraſſes, Hunc ſanctisſimum PAtrem, qui te iure, ac merito ardentisſime amat, ad eius pedes proſtratus adoraſti: CHRISTI legatū, ac tuum, ac totius Reip. parētem grauisſima, & maieſtatis plenisſima oratione agnouiſti, ac deinde ad eum ornandum, & honeſtandum, non voluntatem

ſolum, ſed tuas etiam opes contuliſti: Ac vt vniuerſi hodierna pace frueremur, ad ipſius ſtudia, & autoritatem, curam, vigilias, laborem, omnem denique animi contentionem adiunxiſti. Magnas tu quidem Cæſar ante hoc tempus es adeptus victorias: maiores & clariores, ac tibi etiã ipſi optabiliores à DEO promiſſas, ac paratas intelligimus. Ac vigebunt illæ quidem multorum ſeculorum memoria: ſed, mihi crede, manſuetudinis, clementiæ, pietatis, æquitatis tuæ famam, ad æternitatem, quantum in ſe fuerit, omnis poſteritas propagabit. Quod ſi (quod futurum minime dubitamus) ad pacem tuendam, conſeruandam, amplificandam, conſilia, opeſq; tuæ, cũ Summi Pont. autoritate, ac dignitate perpetuo con ſenſerint, facile iudicare potes, quantam ſis ex conſeruata pace, gloriam conſecuturus, cui tanta hodie ex parta, quantam expectare & excipere potuiſti, ab vniuerſa Rep. facta ſit gratulatio.

ROMVLI AMASAEI DE LATINAE LINGVÆ VSV RETINENDO SCHOLA I.

QVAM fracto & demisso animo auditores, ad hæc solennia studiorum nostrorum initia, superiore hoc proximo triennio accessimus: tam alacri hodierno die, atq: ad optimam spem erecto, pristinam huiusce consessus consuetudinem repetere nos, ac referre oportere existimo. Etenim si acerbissimis & calamitosissimis temporibus, cum atrocissimi belli funestissima vi, agi ac rapi omnia, pestilentissimis morbor. generibus agros vrbisque ad vastitatem redigi, Italiæ vniuersam ferè plebem diuturna ac miserabili fame confici videremus, dolori luctuique nostro neque materies, neque causa defuit: Nunc vertente se quasi Fortunæ orbe, in summa anni fertilitate, cœli optatissima salubritate, Potentium atque Imperiosorum hominum, quorum ante odia se in Italiam profuderant, cogitationibus ad concordiam pacemque spectantibus, Clementis vero Pont. Max. & Caroli Cæsaris Augusti in hanc vrbem aduentu, incredibili totius ciuitatis gratulatione florente, quid impediat, quo minus sedato ac ocioso etiam animo, nostrum in præsentia munus obeamus, profecto non video. Itaque vt mihi ante

ante à querelis ac deploratione, quod miserrima tē-porum conditio postulare videbatur, libitum est exordiri: Ita nunc ad eam ordiendi rationem redeundum censeo: qua pro mea in vos fide, officio ac beneuolentia, atque ingenii iudiciique mei facultate, pacatiore temporum statu, studia vestra instituere atque informare cōsueram. In quam sanè curam, omnibus, qui bonas literas in veterem dignitatem ac nitorem cupiunt restitutas, eo maiore nunc studio, atque animi contentione incumbendum esse arbitror: quod illæ per aliquot annorum iniuriam, retro quasi lapsæ, ac de gradu suo deturbatæ, nihilo quidem minus detrimenti acceperunt: quam quantos superioris seculi felicitate progressus habuere. Nam cum ardente vniuersa infestissimo bello Italia, eorum animos, qui se ante rectissimis studiis atque optimis artibus dediderant, aut turbulentissimæ maximarum veluti tempestatum procellæ, ad imminentium periculorum, à capite fortunisq; suis depellendorum, curam abstraxerint, aut belli ipsius vis, vel teterrima morborum lues perculerit: nisi iam aut quos ex eo numero ætatis nostræ fortuna reliquos fecit, ii labentium literarum ruinam fulciant, aut earum noui autores & vindices existāt: nihil magis vereor, quam ne Latinæ literæ, aut breui euanescant: aut à nostris neglectæ, ad exteros populos ac

natio-

nationes profugiant. Quod si aliquando euenerit, (ac ne vnquam eueniat, Dii, Deæque omnes prohibete) facile auditores cogitare potestis: amissa iam pridem imperii ac bellicæ rei gloria, si literarum cultum, atq; humanitatis elegantiam nunc amittamus, quam sordida ac miserabilis facies, quam fœdus, & obsoletus futurus sit Italiæ habitus. An dubitamus quin Latini nominis lumini, barbariæ tenebris offusis, deprauatis moribus, corrupta studiorum ac vitæ etiam ipsius ratione, ad eum victus linguæq; situm, ac veluti senium reuoluamur: Quo deleto ab exteris olim & efferis gentibus Romano Imperio, abolitis literarum monimentis, cuncta ferè Italia oppressa contabuit? Atq; ego quidem auditores, per multos iam annos, eos adolescentes, quorum mihi studia publice commissa & commendata sunt, pro virili mea, modo ex superiore loco, modo ex æquo, monendo atque hortando contendi: vt ad linguæ latinæ copiam & sinceritatem agnoscendam, & capessendam excitarem: Quippe qui disciplinarum quoduis genus, nisi diserte & emendate, vel dicendo, vel scribendo tractatum fuerit, non solum ieiunum & ineptum, sed mancum etiam atque imperfectum semper existimarim. Sed enim non magis temporum iniquitate, quam noua, ac (quod me hodie vobis probaturum confido) minus recta certorum

homi-

hominum opinione, in eum locum rem deductam esse video: vt nisi existant, qui se eorum sectæ opponant, ac pro pulcherrimæ atque ornatissimæ linguæ autoritate acriter resistant, nihil iam omnino prohibere posit: quin sublato latine loquendi, ac scribendi vsu & consuetudine, quæ lingua è mediis flãmis ac ruinis toties elapsa, à duobus plus millibus annorum, nostra adhuc ætate, nonnullam iuris potestatisque suæ partem retinet, ea nunc ab ista vernacula, Aulica ne dicã, an Hetrusca? vtroque enim iam nomine celebratur: euersa ac prostrata, non opes tantum, atque ornamenta, quæ in Italia olim possedit, sed ipsum etiam spiritum ac vocem amittat. De qua quidem hominum opinione, dum paucis, non magis in annuum munus meum proludendi, quam veritatem tuendi causa dissero, ac dum meas vobis contra eam rationes expono, attente, obsecro, me ac benigne auscultate. Florente Romanorum Imperio, vna fuit lingua omnibus communis, in ipsa vrbe primum ac latio, deinde in tota etiam Italia. Hac viri passim, Hac fœminæ, Hac vrbani, Hac agrestes homines vtebantur: Hac publicæ & priuatæ res, Hac domesticæ & forenses, Hac denique vrbanæ omnes & rusticæ tractabantur. Indicant habitæ ad populum conciones: Actæ in Theatris fabulæ: incisæ in æs leges: inscripti in lapidibus, qui nunc etiam leguntur,

tur, tituli: familiariter ad coniunctissimos homines, ad mulieres etiam scriptæ epistolæ: Indicant postremo quæ aut opificum, aut rusticorum turbæ præcepta sunt, ac literis mandata ad nostram vsque ætatem peruenerunt. Verum iam magis perspicua res est, & eruditorum hominum assensu comprobatior: quam vt coniecturis argumentisq; colligendis, multum sit aut verborũ cõsumendũ, aut temporis. Tantum inter eruditum & illiteratum intererat: quod ille in verbis, ac loquendi formis, in vocis sono, in literis appellandis, delectum & suauitatem multo maiorem habere videbatur: sed erat neutri omnino, vt alterum intelligeret, quidquam elaborandum. Ac multos quidem post Romam conditam annos, hãc vnam & solam linguam, quæ à Latio, vnde oriunda fuit, Latina appellata est, Romani homines, ac Romanorum Italici nominis socii, & nouerunt, & excoluerunt. Post autem, redacta in potestatem Græcia, Græcorum literis ac disciplinis cognitis, Græcis etiam doctoribus adhibitis, Græcam linguam in latinæ societatem cooptarunt: qua ad Græcorũ duntaxat artes percipiendas vterentur. Eam cum in sermone, aut prorsus nunquam, aut perraro, ac non nisi inter Græcos vsurparent, in scribendo tamen, ad aliquam aut ocii, aut ludi, aut exercitationum suarũ partem admittebant. Sed ipsa quidem latina, de qua

O est

eſt mihi oratio inſtituta, ſanitatem ac natiuum decorem ſuum conſtanter tutata, ad ſexageſimum ferè, & ſeptingenteſimum vrbis annum uiguit, ac dominata eſt: Reliquum quod fuit ad Romani Imperii interitum, per annos circiter quadringentos & quinquaginta, quaſi luxu ac delitiis delinita, ac vt ita dixerim ſenectute diſipiens, exquiſitioribus ornamẽtis, ac verius fuco, priſtinam formæ pulchritudinẽ emẽtita, magnã ſanè dignitatis grauitatiſq: ſuæ partem amiſit. Poſtea vero quam ex vltimis Europæ finibus, gentes immanitate barbaræ, multitudine innumerabiles, iteratis ſæpius irruptionibus, diuturno etiam dominatu Italiam afflixerunt, vitiari primum barbariæ ſono, barbaricis etiam verbis, quaſi maculis quibuſdam aſpergi cœpta eſt: Ac deinde doctiſſimorum hominum monimentis partim iiſdem flammis exuſtis, quibus DEORVM templa, atq: vrbium mœnia conflagrarant, partim etiam cum reliqua præda in Scythiæ ac Sarmatiæ receſſus aſportatis, pacis ociique ſtudiis, vt in tanta rerum omnium confuſione par fuit, intermiſſis, iam cœpit obſoletius & abſurdius loqui, ac potius balbutire, & pene obmuteſcere. Poſtremo cum Langobardi non inſolentioris nominis, quam ingenii populi, Italia occupata, ſui etiam in ea regni ſedem ſtatuiſſent, quam ſub Regibus .II. & .XXX. annos .X. & .VIII. ſupra

.CC.

.cc. tenuerunt, cum moribus ac legibus, cum ipsis literarum etiam notis, mutauit Italia loquendi consuetudinem: Ac non aliter Langobardicis vocibus, Langobardico oris sono, latinus sermo deprauatus est: quam solent puri amnes influente cœnosa aut ex lacunis, aut ex paludibus aqua corrũpi. Hinc duæ loquendi formæ ex eodem fonte emanarunt: Atque altera quidem, & si nihil ex vetere illa lingua, præter speciem quandam, sanguine, colore, ornamẽtis omnibus amissis, præ se ferebat, Latinæ tamen linguæ nomen retinuit: Altera corruptior multo, & externi sermonis illuuiæ quadam ac sordibus contaminatior, vulgaris est appellata. Illam literati homines, quantum illa ætas ferebat) qua aut scribentes, aut grauioribus de rebus disputantes vterentur, in familiaritatem suam receperunt: Hæc se imperitæ multitudinis commerciis, ac sermonibus inuulgauit. Hæc itaque iam duplex loquendi forma in annum iam septingentesimum ac septuagesimum propagata, ad nostram vsque ætatem, è quo diximus fonte deriuauit. Sed enim prior illa abhinc annos haud minus. LXXX. nacta literarum studiosos principes, atque in primis de Pont. Max. numero vnum & alterum, Qui magnis propositis præmiis, ingenio præstantes, & Græcis latinisque literis, vt in maxima præceptorum, ac librorum penuria, erudi-

tos homines, ad ferendam bonis literis, ac liberalibus studiis opem inuitarunt: respirare primum ac emergere visa est: mox nouis subinde auxiliis excitata, ac subleuata, tantum se memoria nostra erexerat: vt si tantundem quod huius seculi reliquum est, à barbarie, in qua ante demersa fuit, recederet, non ita longo tēporis curriculo, ad veteris illius linguæ gloriā, quam proxime accedere posse videatur. Ac multis quidem retro annis, ad doctrinæ ac eruditionis laudem aspirauit nemo: qui non in latine loquendi ac scribendi facultate, multo maximam famæ nominisq; sui spem positā habuerit. Cum interea latinarum literarum rudes homines, fictas, ad vulgi animos oblectandos, procerum pugnas, ac sua veluti quædam somnia, ociosi & feriati temporis solatia, opificum ac fœminarum turbæ, vulgari lingua conscripserint: Ac mediocriter eruditi, non satis illi quidem ad latine scribendum parati, historias è latino in vulgarem sermonem versas ediderint: Iam vero & bene (vt illis temporibus) litetati, cum optimam ac maximam temporis sui partem, in latine scribendi meditatione consumerent, eas nonnunquam horas, quibus alii ad somnum se, aut ad talos, aut ad pilam, aut ad tesseras, aut ad doctissimis hominibus indignas voluptates cōferunt, ipsi aut cantiunculis cotidiano & plebeio sermone scriptitandis, aut fabellis

ſis exponendis, per ludum iocumque tranſmiſerint. Nuper vero, atq: adeo poſtremis hiſce annis exorti ſunt, qui vulgarem linguam, aut vnam, aut eam maxime colendam cenſerent: nobiles quidem homines, & ingenii ac doctrinæ laude præſtantes, quique niſi vulgares ſe, quam latinos dici maluiſſent, ab ipſis potiſsimum, ad linguam latinam in priſtinum decus vindicandam, nobis fuiſſent præſidia poſtulanda. Intelligo auditores in iis collaudandis, quãtum ad eorum autoritatem accedat, tantum de cauſæ meæ præſidiis detrahi: Sed veſtrum eſt rationum veritate, non hominum autoritatibus moueri: neq: magis quid illi ſenſerint, quam quid ſentire debuerint, ſpectare: Ego medius fidius horum hominum laudibus, quantum alius quiuis faueo: opinionem hac vna in parte non approbo: & quod maxime admirari ſoleo, eorundem hac vna in re iudicium deſidero: Ac quo magis prodeſſe linguæ latinæ eos potuiſſe video, hoc vehementius diſcrucior, non ſolum ad corruptam hanc & ſemibarbaram linguam (quam aut Hetruſcam, aut Aulicam appellantes, vocabuli lenocinio honeſtatam volunt) ornandam ac illuſtrandam ſtudium ſuum contuliſſe: verum etiam quàmplurimos (vt eſt multorum hominum ad leuisſima ac facillima quæque ab iis, quæ plus laboris poſtulare videantur, ingenium procliue) à la-

tine

tine loquendi ac ſcribendi cura, diſputando & adhortando remouiſſe. Quæ res effecit, vt cum pulcherrimam, & dignitatis plenisſimam linguam, de reliquis opibus ſuis in dubium venire animaduerterem, cæteris, quorum nunc maxime patrocinio indigebat, lentius ac negligentius id ferentibus, ne ad latinæ linguæ perniciem hæc opinio latius ſerperet, ſtatuerim hodierno die veſtra fretus æquitate, & illorum de toto hoc genere ſententiam, & meas contra illam rationes, iudicio prudentiæque veſtræ committere. Atq: ob eam in primis cauſam, vt optimi quiq: ac literarum ſtudioſisſimi adoleſcentes, quorum animum ancipiti ſententia pēdere animaduerti, Vtram linguam in poſterum ſtudioſius colant, facilius poſsint ſtatuere. Ac primum quibus illi rationibus niſi, vulgarem hanc ſuam linguam in loquendi ac ſcribendi veluti regno collocare conentur, diligenter cognoſcite. Nouum eſſe aiunt & priſcis temporibus omnino inuſitatum: vt ſingulæ nationes pluribus, quàm ſingulis idiomatis (ſic .n. Græca voce proprias cuiuſque linguæ formas appellamus) in ſcribendo aut loquendo vtantur. Latinam ipſam linguam iam nobis peregrinam eſſe: vulgarem patriam: de ſua non bene mereri, qui maiorem illi, quàm huic honorem habeant. Neque æquum neq: pium eſſe, eam ipſam linguam, in qua nati,

nati & educati ſumus, contemnere: alienam tanto ſtudio colere, & ornare: Perinde ac ſi non matribus, aut nutricibus educationis gratiam, ſed alienæ cuipiam mulierculæ referremus. Non expedire, quod temporis aut operæ, optimarum ac humanæ vitæ aptisſimarum artium ſtudiis cognoſcendis impendi tanto vtilius ſit, id totum in ea lingua percipienda, quæ cum paucis nobis communis futura ſit, conſumere. Quod caput eſt: Non eſſe multam operam cõferendam, in linguam minime illam quidem neceſſariam, cognitu vero adeo difficilem, vt à Romani Imperii interitu, ad hæc vſq: tempora, quibus reuixiſſe quodam modo latinas literas putabamus, nemo eam ſatis adeptus eſſe videatur. Hæc illi pro acumine ſuo, ac prompta dicendi facultate ſubtiliter diſputant, & copioſe: Atq: hæc ad vulgaris linguæ tanquam arcem muniendam, fundamenta iaciunt: Quæ ſi tam firma iudicabitis, vt nullis prorſus rationibus conuelli poſſe videãtur, Acta ſcilicet mihi res eſt: nulla ego amplius ope poſſum reſiſtere: quin de vetere poſſesſione lingua latina deiiciatur: nullam poſt hac litem intendo: nihil experior: æquo animo iudicatum ſoluo. Sin illorum vobis argumenta, ſpecioſiora viſa fuerint, quam veriora, argutiora, quam grauiora, tunc obſecrabo vos auditores, atq: obteſtabor, ne vlla hominum autoritate inducti,

ducti, aut nouæ linguæ illecebris capti, ab optima ac grauissima loquendi ratione desciscatis: Ac vt latinæ orationis maiestatem, in cognitionis ac doctrinæ studiis, omniq: literarum genere retinentes, alteram istam, quocunq: sit nomine appellanda, popularem & vulgo iam tritam, in cotidianis tantum negociis, turbæ foriq: commerciis, in adolescentiæ non nunquam vestræ oblectatiunculis, comitem ac veluti internũtiam adhibeatis. Sed ad ea iam, quæ huic quæstioni adiunctiora sunt, venio. Nouum esse aiunt, & inusitatum priscis temporibus hunc duplicis linguæ vsum. Hic ego, quod nouum sit, nego esse protinus contemnendum, aut reiiciendum: In iis enim, quæ ad humanæ vitæ vsum pertineant, nõ vetustatem, sed vtilitatẽm spectãdam puto: ac idem quæ noua dedecus aut damnum important, magno pere statuo fugienda: contra, quæ honorem, quæ amplitudinem, quæ copiam afferãt, & cum absunt, vehementer expetenda: & cum vel hominum opera, vel DEORVM benignitate contigerint, sedulo custodienda. Quid autem aut honestius, aut elegantius fieri potuit, quam locata quasi in arce, & sacrario, lingua latina, quam docti tantum & eruditi homines, veluti eius flamines, sancte, & cum solenni quasi cerimonia colerent, popularem hanc, illius vicariam, ne famulam dicam, quæ vniuerso planè

populo

populo præsto esset, extitisse? Quid vero ad sermonis copiam aptius, quam duplici iam lingua posse dicendo animi sensa exprimere? Detraxisse vetustatē multum fortasse de vitæ colendæ rationibus doleamus: Quæ vero nobis pepererit cōmoda, iis grato & gaudenti animo perfruamur. Quod si quæ ætati nostræ noua sunt, omnia missa fiant: Dici vix potest, quam multa simus vitæ præclarius degendæ adiumenta in posterum desideraturi. Ac primum quidem nouam hanc artem, librorum quamplurima exemplaria quam breuissimo tempore, quamque minimo impendio describendi, qua priscorum, atq; adeo auorum etiam nostrorum ætas caruit, facessere iubebimus. Campani deinde æris, quæ magno omnibus Europæ gentibus, in sacris, profanisq: rebus atque in primis in diurnis, nocturnisq: horis indicandis vsui est, significationem de medio tollemus. Non mehercule libenter cum nouis, & iisdem ad maximam, & maxime perspicuam vtilitatem comparatis rerum inuentis, ea coniungo, quæ ad hominum perniciem excogitata sunt: Sed profecto quando noua omnia aspernamur, æneorum fulminum vim Imperatores à castris, à mœnibus, à præliis remouebunt. Iam vero (vt ad salutaria Inferiorum ætatum inuenta reuertar) Nauticæ Pyxidis vsum in poli, siderumque obseruatione, per quam tanto nunc

P tutius

tutius ad ignotas etiam ante mundi partes; nauigatur, gubernatores repudiabunt. Quid dicam de illis ipsis ignotis terræ partibus, quæ his proximis. xxx. fere annis, ab Hispanis & Lusitanis repertæ sunt? An quia nunquam ante fuerant cognitæ, Carolus Cæsar ingenti virtute ac fortuna vir, & Ioannes Lusitaniæ rex (vtrunq: honoris, & amplitudinis causa nomino) moleste ferent aui, patrisq: sui, fortissimorum ac sapientissimorum regum virtute, ad veterem suorum regnorum hæreditatem accessisse: Taceo nouas pene innumerabiles artes, ac vitæ victusq: rationes, quarum vsu, non alio, quam quod nouæ sunt nomine, sublato, non solum maxima, in vita tanto commodius agēda, auxilia, verum etiam summam vitæ iucunditatem, ac ipsam prope vitam vitalem, requisituri homines videantur. Quare, mea quidem sententia, tantum abest, vt quenquam hæc aut locupletatæ, aut duplicatæ linguæ nouitas debeat offendere: Vt multo etiam nobiscum præclarius, quam cum priscis hominibus actum existimem: Quibus & ad grauiores, & sublimiores oratione res pertractandas, in promptu sit latinæ linguæ dignitas: & ad popularia ac leuioris curæ negocia transigenda, peruulgati huiusce sermonis suppeditet celeritas. Homerus poetarum non antiquissimus modo, sed etiā sapiētissimus, alia DEOS,

quam

quam homines lingua vti, suis carminibus testatum reliquit. Itaque quam auem cymindin homines vocent, à Dis eam chalciden appellari: collem quendam ante Ilion, Batiean humana lingua, DEORVM vero, Myrrhines monimentum dici: Iam Briareum Di, Aegeona homines nuncupant: Postremo quem Scamandrum amnem dicant homines: illi inter DEOS Xantho nomen esse. Quod cum summus poeta fingeret, qui nihil vsquam temere finxit, illud spectasse consentaneum videri potest: magnam esse linguæ cum mente conuenientiam: eoque fieri, vt ad mētis aut sublimitatem, aut humilitatem semper se accommodet loquendi vis: Pár esse igitur, Dis nō esse cum hominibus communem linguam, cum neque vna sit & eadem vtrique naturæ mens: Quod si à ratione id non abhorret: & illud certe doctis concedi potest: Vt qui altiore ac sanctiore (vt ita dicam) mente præditi sint: à vulgo etiam se, atque indoctorum turba, propria loquendi forma seiungant. Et qua nam alia ratione putamus, poetas, diuinos plane homines, suam sibi quādam, à populari certe sermone alienissimam linguā instituisse, nisi vt se quam longissime à multitudinis imperitæ consuetudine abducerent? Quod si doctissimi plerunq: ac humanarum, diuinarumq: rerum consultissimi homines, de industria sapientiæ suæ ar-

cana fictis fabulis, & commentitiis ambagibus ac nonnunquam angustiore, atque asperiore dicendi genere obscurarunt: Quid est causæ, cur ab eruditis, eruditiore & cultiore lingua, scientiarum sacra exornari non facillime patiamur? Sed enim cum iam ostenderim duplicem linguam non modo non contemnendam, verum etiam plurimi faciendam, Quid si iam ostendo vnicam esse, neque magis duplicem, quam priscis temporibus fuerit: atque eos ipsos, qui vulgarem vnicam colendam esse dicant, duplicis tamen, aut triplicis potius vulgaris vsum introducere? Ac mihi quidem qui vulgarem linguam aliam à latina esse iudicant, non satis quid aliud, quid mutatum sit, distinguere posse videntur: Sunt autem hæc vt nominibus, ita propemodum ipsa vi, ac natura dissidentia: Est enim aliud, quod alteri in contentione positum, aut contrarium est: aut ei in paucis consimile: Vt rationis particeps, rationis expers, mors, vita, homo, planta, lapis: Mutatum vero, cui aut accessit, aut detractum est aliquid, ex iis, quæ à subiectis rebus aut remoueri, aut ad easdem addi possunt: atque ex eo quicquid illud est, non quod ante fuit, sed quale fuit, esse desiit: Vt si quem ex ægro sanum, sapientem ex stulto, ex formoso puero deformem senem: pauperem ex diuite factum esse dicamus.

Hinc

Hinc illud, quid hoc morbi'ſt? adeon'homines immutarier ex amore, vt non cognoſcas eundem eſſe? hoc nemo fuit minus ineptus, magis ſeuerus quiſquam, neq: magis continens. Ac quæ mutantur quidem omnia, aut altera qualitate aſſumpta (qualitatem Cicero vocat, quam græci ποιότητα) in melius vertunt: vt quæ miſta, condita, temperata dicuntur: aut cum in deteriorem habitum tranſeunt, corrupta appellantur: Prioris exempla imitationis: vinum, aqua, vinum item, & oleum melle miſcetur: ſatuum, ſalſo, amarum, dulci, pingue, acerbo conditur: Calidum frigido, ſiccum humido, & in virtutibus, ſeueritas lenitate, grauitas comitate, celeritas tarditate temperatur. Poſterioris, aer ſaluber noxiis flatibus, Perennis aqua, pigra corrumpitur: & Caſia liquidi corrumpitur vſus oliui, vt Poeta inquit. Hinc luxu corruptam ciuitatem, corruptos licentia mores dicimus. Ex hac deſcriptione, quæro vulgarem ne linguam aliam à latina, an mutatam eſſe ſtatuant: Aliam dicunt: Atqui neque contraria eſt: neq: in paucis tantum conſimilis: An non vitam, mortem, ſtatum, conditionem, literas, virtutem, artem, ſtudium, arma, libros, cœlum, mare, terram, caput, pedes, manus, frontem, leonem, aquilam, delphinum: ædificare, armare, legere, ſcribere, currere, portare, ornare, & alia prope infinita orationis humanæ

manæ membra, iisdem pene literis, eodem sono, eadem vocum notione, & vulgus, & eruditi enunciāt? Ac similis in iuncta ex pluribus verbis oratione ratio est? Vt vitam honestissimam agere, mortem effugere, tranquillo vti temporum statu, conditionis suæ nihil pœnitere, & ne multa persequar, ad hunc ferme modum, eorum quæ dicuntur longe maxima pars. Neq: vero si voces singulæ, vna & altera litera aut addita, aut detracta, diuerso exitu cadant, aliæ, sed mutatæ rectius poterunt appellari: neq: si paululum elocutionum multarum formæ quædā, à latinitate desciuerint, ius quasi latinum, ac veluti ciuitatem amittent: Quasi vero aut Hector ille Virgilianus, tantum mutatus ab illo Hectore, Qui rediit exuuias indutus Achilli, Hectoris nomen debeat amittere: Aut Deiphobus, quem Aeneas inter vmbras vidit: Lacerum crudeliter ora: ora, manusq: ambas: Aut excusso oculo Polyphemus, ii esse desinant, qui ante fuerunt: Cum & Proteus non modo cum sus horridus fit, atraq: Tigris, sed etiam cum flammæ dat acrem sonitum, aut dilapsus abit in tenues aquas, Protei nomen retineat. Verum fateor eas, quas ante dixi voces, atq: item quamplurimas, literas alias amisisse, alias recepisse: diuersum iam à prisco referre in cadendo sonum. Fateor etiā bellum, prælium, inducias, templum, hospitium, nonnulla

nulla armorum, veſtimentorum, ac vaſorum genera aliter nunc vulgo dici: alia rerum vocabula amiſſa, alia propter ſimilitudinem quandam, ad alias res appellandas tranſlata, vt cum frumentum dicimus, quod triticum fuit: Caſam, domum: mulierem, vxorem: ſpatham, enſem. Fateor etiam exprimi nonnunquã ſingula animi ſenſa mutatis verbis: Neq: enim iam dicit vulgus, delectum habere: opem ferre: gratias agere: fructum, præmium ferre. Nego tamen, cum ſit populari huic ſermoni, eadem cum latino in reliquis fere omnibus loquendi forma, hunc eſſe alium quam latinum: At enim multa ſunt mutata, quod peregrinis ac barbaris etiam vocibus in latinam linguam inuadentibus, ea corrupta eſt. Docui iam antea non recte, quod mutatum ſit, aliud appellari. Quod ſi quod mutatum eſt, continuo idem non eſſet, Græcæ linguæ nomen, Ionum, Dorum, Aeolenſium, Cretẽſium etiam, ac Boeotorum mutationes perimerent: Et lingua latina, quam barbararum vocum concurſu, iam tum corruptam ad Brutum ſcribens queritur Cicero, cum ſynceritate ipſa nomen etiam amiſiſſet: Ac nunc Italica, propter infinitas prope mutationes, non recte Italica poſſet appellari. An non Ciceronis etiam temporibus emẽdatius multo, ac politius eruditos, quam vulgarem turbam locutos putamus? Quid igitur

ipſe

ipse oratores enumerans, quam paucis quasi peculiarem latini sermonis laudem attribuit: quod casti gatius multo loquerentur: quod neq: presse nimis, neq: obscure literas appellarent: eandem in aliis desiderat? Qui & si inquinatius loquebantur, latinæ tamen linguæ ius non statim videbantur amittere. Sed est hæc vsitata iam multis partibus deprauatior. Esto: quandiu tamen à latina non longius discesserit, illam ego, veterem, integram, castam, & incorruptam latinam, nouam hanc, pollutam, & contaminatam, ac vulgarem, perinde ac dicitur, latinã appellandam putabo. Verum, quod multis iam verbis negaui: fac duplicem esse linguam: iam erit his videndum, qui duplicem fastidiũt, ne multiplicem ipsi inducant. Primum enim non conuenit inter istius linguæ autores: cum Hetruscam alii, alii Aulicam anteponant, quam sic à principum Italiæ aulis appellant, vtram nobis proponant vsurpandam. Deinde facile est ãnimaduertere: eorum vnumquẽque modo patria lingua, modo hac sua aduentitia, nonnunquam etiam latina aut loqui, aut scribere: quo fit, vt cũ alios à duplicis linguæ vsu deterreant, Ipsi triplicem consectentur. Sed satis cõtra ea, quæ de vnica lingua colenda disputant, dictum fuerit: Hoc enim eorum causæ præsidio, quo maxime freti erant, labefactato, non magno vtiq: negocio, vti spero,

ſpero, reliquas eorum rationes euertemus. Ac ſecundo quidem loco, non eſſe aiunt maiorem peregrinæ, quam patriæ linguæ honorem habendum. Peregrinam eſſe iam nobis latinam, vti fuit olim Romanis Græca, iſti ſcilicet homines interpretantur. Sed quid habeat hoc ſimile, quod ſatis quadret, non video. Primum enim è Græcia illa, hæc è latio orta eſt: Vt iure quæ quaſi natalibus tam longe diſsidebant, altera eſſet alteri populo, ac nationi peregrina: At latina vetus, & vulgaris hæc noua, indidem ortæ ſunt: & vtraque (ſi duæ ſunt exiſtimandæ) eandem originis ſtirpem agnoſcunt. Deinde quam parua ſit latinæ cum Græca ſimilitudo, facile multas ex vtraque ſententias, multa item verba conferentibus, poteſt liquere. Aliter hominem Græci appellant, virum, fœminam, mulierem, animal, plantam, cœlum, terram, aquam, ſolem, lunam, ſtellas, flumen, montẽ, arborem, vitem, laurum, amicum, inimicum, ſationem, meſſem, vindemiam: Atque ita aliter penè omnia, vt vix viceſimum quodque verbum, vlla cum latinis vocibus affinitate iunctum eſſe videatur: cum ne quinquageſimum quidem, ex hac vernacula noſtrate, alienum à latina notari poſsit. Iam vero Græcorum quæ coniunctis vocibus conſtant, pleræque loquẽdi formæ, tam longe abſunt, vt verbum ſi verbo reddas, multo quidẽ Germanicam, opinor, Gal-

licam, aut Hiſpanicam facilius in latinam, quã Græcam mutes: At latinæ quæ non enunciatio, in vulgarem vertentem, & quaſi manu deducentem non patienter modo, verum etiam lubenter ſequatur? Poſtremo cur non vulgaris potius quam latina, peregrinæ nomine cenſeatur: cum hæc non aliunde huc immigrarit: illa, qua parte vulgaris eſt: ex prouinciis, atque è media barbarie, in Italiæ fines ac poſſeſsiones irruerit? At eſt vſitatior. Quam multæ ſunt peregrinæ res vſitatiores? neque eas tamen quiſquam patrias dixerit. Quis non videt. Gallicas & Hiſpanicas veſtes, in frequenti Italiæ vſu eſſe? Telorum etiam multa genera? quæ tamen, vti ſunt, peregrina & habentur & nominantur. Ego me hercule neutram peregrinam eſſe iudico: Sed alteram degenerem quaſi alterius propaginem: Ac latinam quidem veterem, tanquam aurum, aut merum, ac præſtantisſimi ſaporis vinum: nouam, quaſi loream, aut vappam, vel orichalcum. Neque vero qui illam ſtudioſius, quam hanc ſibi colendam duxerit, Peregrinam patriæ anteponet: ſed à peregrinitatis illuuie patriam, quantum in ſe fuerit, defenſam ac vindicatam volet. Nam quod impietatis eos condemnant, qui educationis gratiam non matri, aut nutrici ſuæ, ſed alienæ quaſi mulierculæ referant: Ipſi enimuero impii & crudeles, qui anti-

antiquam & veram matrem, non modo non agnoſcant: ſed vt eiiciant etiam, & exterminent, omni ſua ope contendunt. Ac, quod indigniſsime ferendum eſt: eorum plerique ab ea non tantum in lucem editi, ac educati: ſed honoribus etiam ornati: fortunis aucti: nominis ſplendore, & gloria decorati. Nam ſi duas eſſe omnino volunt: vtram tandem matris nomine dignantur: Illam ne caſtam, ſeueram & ſanctam: vultu & aſpectu grauem: matronali habitu atque ornatu decoram: paternis opibus & dote locupletem: magna ſummorum hominum, quorum virtute eſt eius omnis ditio amplificata, cinctam corona? An vero vernaculam hanc, quaſi ancillulam, toties barbarorum conſuetudine corruptam, ore fucum duntaxat & illecebras præ ſe ferentem, inopem, indotatam, plebeio ac ſeruili verius cultu: eorum tantum comitatu ſtipatam, Qui, quod à græcis de Penelopes procis dictum eſt, cum dominæ pudicitiam nequeāt expugnare: ancillarũ ſe oblectāt amoribus? Neq: vero vtriuſq: linguæ aliā fere eſſe formā intelliget: Qui attēderit quanta ſit illius dignitas, grauitas, amplitudo, ac cũctis in rebus quæ in dictionē cadant: explicandis vbertas, copia, varietas: Quanta contra huius tenuitas, exilitas, ieiunitas: quæ cum tam exiguo autorũ numero circunſcripta, minimam ad rerum pertractationem, facul-

tatẽ ſuppeditet, & ne linguæ quidẽ nomẽ poſsit ſibi merito vindicare. Acta mihi, auditores, ac vobis etiam(niſi me animus fallit) probata, magna ſuſceptæ actionis pars. Verum cum in explicanda linguæ tanquam degeneratione quadam, Tum vero in duplici loquendi vſu defendẽdo,ac confirmando,atq: ad vnam & eandem originem referendo, deinde in vindicanda à peregrinitatis nota latina lingua, Atq: impietatis calumnia ab eius cultoribus propulſanda,ſim diutius immoratus, quàm quantum toti ferè huic diſputationi, inter meditandum temporis præſcripſeram: Ne in reliquis partibus pertractandis,longius vos detineam, quam vt commodi voluntatisq: veſtræ,cui ſemper fui deditiſsimus, ratio habita eſſe videatur:Quod mearum de toto hoc genere cogitationum reliquum eſt,id in craſtinum diem, atque in hanc ipſam horam differam. Vos quo de tota cauſa rationibus meis cognitis,quid ſentiendum vobis ſit,facilius multo ſtatuatis,recentem ad iſta ſubſellia attentionem, atque iſtam ipſam in me,quam facile ex oculis vultuque veſtro mihi videor hodierno die perſpexiſſe, animorum æquitatem reportabitis.

ROMVLI

ROMVLI AMASAEI DE LATINAE LINGVÆ VSV RETINENDO SCHOLA.II.

DE recuperanda vetere Romani Imperii gloria auditores, In Italia nunc, atque adeo in hac ipsa vrbe, à summis duobus hominibus amplissima autoritate, atque augustissima dignitate præditis, consilia iniri cotidie audimus. Ac vt bene & fœliciter eueniat, à Dis immortalibus votis ac precationibus exposcimus. Atque illi quidem qua sunt animi magnitudine, ac diuina prope virtute, vt spei, votisque nostris respondeant, quanta maxime poterunt, ope contendent: Sed cum duæ res fuerint, quibus olim Romani, Italique homines maxime floruerunt: Imperii ipsius maiestas, ac linguæ dignitas: suas nimirum illi partis, ingenti totius orbis terræ plausu egerint: si pulcherrimas atq: opulentissimas prouincias de insolentissimorum, & à victu, moribus, nomineque nostro alienissimorum hostiũ manibus extorserint. Sed quicunque rerum exitus fuerit, faustum certe ac felicem futurum speramus: In rebus vtiq: maximis ac difficillimis, abunde illis gloriosum fuerit: nulli vnquam ætati, voluntatem, curam, vigilantiam, laboremque suum desiderandum reliquisse. Quæ vero sunt partes linguæ ornandæ,

ac in

ac in priſtinam dignitatem reſtituendæ, vt plurimum etiam poſsint, vel in maximis maximarum rerum occupationibus, eorum cura, atq: opibus iuuari: eæ tamen ſunt ab ocioſis ac liberalis doctrinæ, omniſq: humanitatis ſtudioſiſsimis hominibus peragendæ: Ex quo quidem numero nonnullos magna mea cum voluptate audio, ingenio, ac literis præſtantiſsimos viros, ocio etiam abundātiſsimos, huc ſtudia, vigiliaſque ſuas omnes contuliſſe: Alios moleſtisſime fero: nouæ, ſic enim opinor, cuiuſdam gloriæ ſpe inductos, nuper ad nouam vulgaris, vel ſemibarbaræ potius linguæ, veluti ſectam inſtituendam animum adiecisse: Quorum ſi autoritas, qua vehementer confidunt: pluſquam veritas ipſa, apud vos, cæteroſque ordinis veſtri valuerit: reſiſti iam nulla vi poterit: quin breui videamus, eam imperii partem, quæ in literis, atque orationis maieſtate ſita eſt, extingui, atque aboleri: imperitos doctis æquari: ſecretiora literarum ſacra inuulgari, ac prophanari: Veſtram vero auditores laudem, quæ ex ſcriptis maxime ſolet elucere: non Europæ iam, vt ante, ſed vnius Italiæ finibus circunſcribi. Quod enimuero cum mihi indignisſimum videretur, ac minime conſentaneum, ſuſceptis à ſummis reipublicæ Principibus de reſtituendo Imperio cogitationibus: Veſtra in cognoſcendo æquitate, in ſtatuendo

tuendo prudentia fretus, aggredi ausus sum, ad hominum autoritatem rationibus labefactandam. Ac nunc quidem, cum primos veluti actus huius causæ hesterno die transegerim: reliquæ orationis meæ cursum humanitatis attentionisque vestræ aura prosequimini. Ac primum quale sit illud videamus, quod aiunt, non esse id temporis, in latinæ linguæ studium conferendum: quod vberiore multo cum fructu, in liberalium disciplinarum, atque optimarum artium studiis consumi possit. Hoc loco dicant velim, ea scientiarum genera, quæ nobis perdiscenda putant: quibus nam literis contineantur: Græcis dicent, & latinis. His enim naturæ obscuritas, his morum vitæque ratio, his differendi, docendique præcepta, his medendi ars, his illæ disciplinæ, quæ græci μαθήματα appellant, his poetarum enodatio, his verborum interpretatio, his ciuilium actionum, Ciuilis Pontificiique iuris descriptio, his publica omnis ac priuata, forensis, & domestica disciplina, his postremo omnis diuinarum humanarumque rerum inuestigatio, his humanitas ipsa, vt omnia vno verbo complectar, credita & commendata est. Atque hæc quidem ea sunt studia, quæ cura operaque digna homines censent: Quæ qui literis mandarunt, eorum sane studiorum doctores, & interpretes fuere:

Qui

Qui autem possumus, ex docētis interpretantis ue opera, fructum vllum capere, nisi tam bene eius nobis lingua nota fuerit, quam necesse estnotam esse, quorum percepta & cognita mentis sensa esse volumus? Quis enim non intelligit, res ei satis cognitas esse non posse, qui vocum, vel simplicium, vel iunctarum, quibus res ipsæ traditæ fuerint, quæ uis ac notIo sit, non penitus perspexerit? Cum plerunque videamus, ex ipsa linguæ ignoratione, non hæsitare modo, arque hallucinari: sed fœdissime etiam labi ac cæcutire, quamplurimos earum, quas ante nominauimus, disciplinarum professores. Quod si lingua omnino cognoscenda est, neque potest quisquam ad scientiarum cognitionem aspirare, qui eam linguam, qua illæ pertractatæ sunt, non teneat, certe aut latinæ linguæ studio est inuigilandum: aut nihil quidquam eas ad nos artis, quibus hominum vita excolitur, ad nos pertinere existimandum. Quid autem? Græca ne etiam nobis lingua erit percipienda? Vtraque mea quidem sententia, ei qui maximarum rerum cognitionem, ex ipsis fontibus velit haurire, & in Græca quidem intelligendi, in latina maior bene dicendi spes est latinis hominibus reponenda. Hoc maiores nostri factitarunt: hac tam præclara vtriusque linguæ coniunctione, & nostra, & patrum nostrorum memoria, excellentes ingenio, & copia

homines,

homines,& poſterorum ſtudiis, & nomini ſuo egregie conſuluerunt. Sed dicam, vt ſpero, de Græcæ quidem linguæ ſtudio alias latius. Dimidio inquiunt minore temporis impendio, quæ ſunt ab aliis ſcripta intelligendi, quam dicendi nobis & ſcribendi vſum comparabimus: cum ad eaſdem res explicandas, hæc ipſa, qua nunc vulgo vtimur lingua, ſatis luculentam nobis poſsit verborum copiam ſuggerere: Hic ego quod de temporis compendio diſputant: modo vt aliquid dicant, atq: hæc parſimonia lucrum, ac non detrimentum apportet, non me hercule paruifacio: Sed enim linguam cognoſci oportere fatentur: ſcribendi ac dicendi vſum ab ea negant petendum. Ego vero, quantuncunq: mea in hoc genere ſententia, autoritatis habere debeat: neminem eſſe poſſe exiſtimo, cuiuſquam linguæ peritum: qui ſe non plurimum in ea dicēdo, ac ſcribendo exercuerit: Quam enim multa ſecurius legentes parum attendimus, quæ meditantes ſubtilius & accuratius exploramus? Quod vero linguæ ſuæ copiam iactant: ſeiungant eam à leuibus, in quibus adhuc verſata eſt, ac nugatoriis rebus: intelligent profecto aptiorem eſſe ferendis frugibus harenam: quam linguæ iſtius tenuitatem magnarum rerum grauitati ac ponderi ſuſtinendo. An non vident duos, quos maximos, atq: adeo ſolos autores

 habent,

habent:eruditos, ac literis, vt illis temporibus, abundantes homines, ingenio vero proculdubio præstãtissimo Franciscũ Petrarcam, & Ioannem Boccatiũ, in ipso Hetruriæ gremio natos, in illa temporum barbarie, maluisse quali poterant, latina lingua, quã Hetrusca, grauioris paulo materiæ, ac maioris operæ, conscripta monimenta relinquere, ac lusus tantum, & iocularia (vt ita dicam) commenta, sui colligendi causa, patria lingua scriptitasse. At hæc ipsa leguntur: laudantur: in sinu omnium sunt: Sordent illa, ac neglecta ab omnibus iacent: Nempe quod seculi vitio, ad latine scribendum elegantiã afferre non potuerunt: testati tamẽ sunt, plurimis vterq: libris, vtram linguam maiore studio colendam putarint. Ita, quod conati sunt, summe laudãdum: quod assequi nequierunt, tẽporum conditioni attribuendum: quod ingenii sui vel inter ludendum tantum specimen dederint, fecũditatis in dicẽdo maximæ, ac prope diuinæ existimãdum. Sed non facile dixerim: vtrũ gauisuri, an cũ stomacho risuri potius fuerint: si iam tum viuentibus venire in mentẽ illis aliquãdo potuisset: fore illud tẽpus: quo existerent homines in alienissima lingua nati, & educati: Qui cui literarũ generi suos ipsi tantũ amores, ac veluti nugationes quasdã cõmendassent, ei latinam orationẽ tanto grauiorẽ, & ampliorẽ cedere, ac, vt dicitur, fasces

ſces cogerēt ſummittere.atq: vnicū ex illorum monimentis fere lapidē,iam pro DEO venerarentur:ei ſimiles qui ſcalmū vnum cum in litore reperiſſet, claſsis ædificandæ ſibi oblatā occaſionem putauit. Iam vero qui temporis tam diligentē rationem ducunt:Linguā credo eam nobis proponunt, quæ de medio ſumēda ſit:ex cotidiano ſcilicet ſermone: ac non eā,quæ ad certam iam ab iſtis rationem, ac tan quā normam directa,non ſit cum ſingularum vocū inſolētia,tum exquiſitiore in cadēdo mutatione:ac ſuperſtitioſa prope verba nectendi forma, multo quā latina perplexior,ac quodam modo moroſior. Sed hoc illis iudicādū relinquo: qui latinæ græcæq: linguæ,quā maximam laudē quam celerrime adepti,magna ocii ætatiſq: ſuæ parte,in hac,quā tāquam Mineruam Phidiæ in arce collocant, lingua cōſumpta,vt ſine exceptione laudentur, nondum tamen conſequi potuerunt.Sed concedamus, in latina lingua percipiēda tāto plus tēporis conſumendū: hæc certe tarditas rei diuturnitate cōpenſabitur: Nā vt in plātis,quæ celerrime ſurgūt, celerrime etiā cōſeneſcūt,& emoriūtur: quæ vero ſerius adoleſcunt,& viuaciora ſunt:& fructus ac ſtirpiū diuturnitate moræ dānum alleuant:Sic latina propemodū lingua firmisſimis & altisſimis niſa radicibus, ac doctisſimi cuiuſq: iudiciis tāquam adminiculis fulta,tā multas

turbulentisſimarum tempeſtatum procellas, ac turbines, Iam bis Mille & Ducentos amplius annos ſuſtinuit: cum vulgaris iſta à. DCC. retro anno, ad noſtram ætatem toties vitiata, toties mutata & corrupta, ab agreſti, plebeiaq: ac barbara etiam turba iactata, atq: agitata, in ſummo vix Italiæ ſolo hæreat: Atq: illa quidem, vna & eadem per Europæ populos, ac regiones plane cunctas propagata, in Germania, Gallia, Hiſpaniis, quin etiam Britannia: in his ipſis inquam gentibus, à quibus reliqua nobis Imperii poteſtas erepta eſt, viget, & dominatur: ac Dis hominibuſq: approbantibus, optimam iuris, dignitatiſq: ſuæ partem retinet, ac tuetur: eadēq: ab eruditisſimis quibuſque eorum locorum hominibus, pulcherrimis monimētis ac lucubrationibus in dies augetur & amplificatur. Hæc tam multiplex, anguſtiis Italiæ circunſcripta, ibidem fere, vnde enata eſt, langueſcit, & intermoritur. Videor mihi auditores, multis ex partibus, popularis ac vulgaris linguæ quaſi arcē aut euertiſſe, aut certe vehementer labefactaſſe: Vna adhuc pars reſtat: multo, vt illius patronis, ac mihi etiam ipſi videtur, munitiſſima: Quam ſi, vti ſpero, expugnaro: multo iam fidentius & alacrius, ab hoc aditu patefacto, aggredi licebit ad veterēm nobilisſimæ linguæ gloriam vindicandam. Vos interim obſecro, vt paululum hoc,

quod

quod est susceptæ orationis reliquum, quemadmodum adhuc fecistis, attente, & cum silentio auscultetis. Quod tandem istuc est, tam firmum nouæ huiusce sectæ præsidium? Reprehendunt scilicet eorum nimiam diligentiam, qui in linguam minime necessariam, tum vero cognitu adeo difficilem, vt nemo eam omnino adipisci posse videatur, studiũ curamque suam conferant. Quam sit ea lingua necessaria, sine qua sit omnis, qui suscipitur in liberalibus disciplinis, irritus labor, est ante disputatum. Sed quæ potest, esse magis necessaria lingua, quam ea, perquam cum exteris nationibus, penes quas fatali quodam Italiæ euentu, summa reip. est, nobis est honesta ac prompta sermonis communicatio? Qua sublata, qua nã lingua Itali homines de priuatis, publicisq: rebus agant, cum Gallis, Germanis, Hispanis, Sarmatis, Pannoniis, Britannis? Aut eos per interpretem appellẽt necesse fuerit: aut illorum linguas condiscant. Iam quanti referat: ipse ne sensus, cogitationesque tuas exponas: an alterius vicaria opera confidas: nemo est tam sensus communis expers, quin intelligat. Themistocles certe vnus totius græciæ in rebus gerendis acerrimus, atq: in cõsilio capiendo callidissimus, nõ ante Artaxerxen regem, ad quem ciuium suorũ inuidia pulsus venerat, sibi de rebus maximis conueniendũ putauit, quam Persicam

ſicam linguam didiciſſet:quod cum ſe Rex non alia lingua appellari pateretur, non commiſit ille: ut quæ animo agitabat,alii cuiquam crederet: quā cui tunc ſibi conducere putabat. Tot vero ac tā diuerſas linguas,tam abhorrentes ab Italico ſermone, tā abſonas,tam aſperas,& inconditas,quanti ſit operis addiſcere,æſtiment ii, qui linguam latinam, Italicæ huic,qua uulgo utimur,tam germanam ac finitimā, tam prætereą lenem ac ſuauem,percipere Herculei prope laboris eſſe arbitrantur. Maiores certe noſtri ob eam in primis cauſam inſtituerunt: ut in auguſtiſsimo Chriſtianæ reip.cōſilio,Pontt.Maxx.Latina oratione minores Pontifices rogarēt,& ii latine ſententiam dicerent: vt vnica lingua totius collegii, quod ex diuerſarum gentium lectiſsimis hominibus conſtitutum fuiſſet, ratio haberetur. Quæ cauſa etiam effecit,ut populari turbæ, nouo loquendi uſu conceſſo,in ſacrorum cerimoniis,quibus nemini, qui Chriſtiano nomine cenſeatur, ex quacunque ſit gente,ac natione,interdictum eſt: in ſcribarum etiam tabulis,propterea quod ad exteros plerunq; homines cauſarum cognitio defertur:In ſcholarum deniq; cœtibus,quo diſcendi cauſa ex diuerſis Europæ partibus honeſtiſsimi adoleſcentes conueniūt:vetus latina lingua retineretur. At enim nec percipi quidē poteſt: quæ iam nobis non ex loquen

tium

tium ſermone, ſed ex ſcriptis tantum ſumenda eſt: O incredibilem linguæ difficultatem: O imperitos homines, qui in ea cognoſcenda, & ipſi operam & oleũ perdunt:& vobis auditores, vt laborẽ tam irritum ſuſcipiatis, autores ſunt: Sed quæ tandẽ eſt iſta difficultas? certe aut in ſono vocis, aut in ſingulis, aut in copulatis & iunctis verbis eã eſſe neceſſe eſt: Spectatur vocis ſonus in literis appellãdis, & in quibuſdã ſyllabarũ intentionibus, aut remiſsionibus, quos accẽtus dicimus. An non facillime quiuis, eas literas ac ſyllabas appellarit, quæ ſunt in his rerũ notis? Di ſuperi, inferi: animãtes: aerem: aquam: ignem: terrã: æternitatem: religionem: Pietatem: fidem: nubes: ventos: ſidera: ſolem: lunam: campos: mõtes: flumina: vrbes: agros: mare: nauigia: & quæ his aut agnata, aut ſubiecta quodam modo ſunt: mihi certe in mentem venire non poteſt: quo hæc alio ſono priſci homines pronunciarint: verum eas, quæ primæ ſunt literæ in cœlo, Roma, aut qui primus in homine, ſpiritus: aut in pulchro, triũpho, trophæo medius, exilius, & pene putide: & affatim, apprime, profecto, amabo, cedo, ex aduerſum, ſubinde, aliquãdo, alioquin, & quæ ſunt huiuſmodi, alio quã veteres tenore efferimus. Qui vna igitur & altera ſyllaba, literaue cadat, aut verbũ cẽteſimũ quodq; tenuius, aut craſſius expreſſerit: is cõtinuo latinæ lĩguæ ius amiſerit?

Duræ

Duræ nimis leges, & quibus vix obſtringi ſe uete res pati potuiſſe crediderim: Qui plerunque loquendi vſu populo conceſſo, ſcientiam ſibi reſeruarunt. Si ex duabus &.xx. literis recte.x. &.viii. ne .xx.dicam, appellaro: in reliquis tantillum offendero: tu mihi ſtatim Vrbe Roma, ac Romani Imperii finibus interdices? Sed eſt, aiunt, ſingularum dictionum plane abſtruſa, & ab uſu noſtro remota proprietas: putaram dicturi eſſent: ut ueritatem Democritus dixit, in profundo demerſam. Verũ quæ tam multa ſunt rerum uocabula, quæ aut iam in lucem hominum ſolertia non protulerit:, aut inueſtigando in dies proferri non poſsint? Mitto peruulgata illa, ac protrita: quæ quis eſt tam, ut ita dicam, ieiune literatus, qui aut uſurpare, cum uſu uenerit, aut eorum neſciat notiones diſtinguere? quis enim quid illa ſint, aut quid inter ea interſit, ignorat? Vrbem, ciuitatem: caſtellum, arcem: caſtra, exercitum, aciem, bellum, prælium: orationem, concionem: hominem, uirum: fœminam, mulierem: curiam, ſenatum: comitia, conſilium: forum, plateam: uicum, angiportum: rus, uillam: iaculum, telum: arborem, fruticem: pomum, malum: herbam, olus: plauſtrum, currum: & quæ inuicem ad hunc inter ſe modum affecta ſunt. Sed illa mitto: iam paulo occultiora: Nubes, nebulas: oſtentum, portentum, prodigium, monſtrum:

monſtrum: templum, ædem, fanum: aream, ſuperficiem: formam, figuram: ambitum, ambitionem: lucrum, quæſtum: arbitrum, ſequeſtrē: literas, epiſtolas: ſatagere, trepidare: feſtinare, maturare: relegare, deportare: interrogare, percontari: monere, docere: perſuadere, probare: videre, intueri: abſoluere, expolire: Hæc & quæ dici opus fuerit alia, ſi eodem ſenſu, quo veteres inſeruiſſe ſuis ſcriptis apparet, aut loquens, aut ſcribens protulero, atq: hinc etiam parce, vt inquit Poeta, detorta, nouis noua rebus nomina aſsignaro: Quid erit cauſæ, cur mea latina poſſeſsio non optimo iure ſit, ac prope eodem, quo veterum fuit? Quid vero in coniunctis? Quis me tanquam minus latinum exagitabit? ſi dixero. Quod felix, fauſtum, fortunatumq: ſit, Clementem Pont. Max. cum Carolo Cæſare, vtrunque honoris, atque amplitudinis cauſa nomino: fœdus percuſsiſſe: ad Italiæ ſtatum reformandum, ac impiorum hoſtium conatus infringendos, eundem Cæſarem à Cal. ſextilibus mare tranſmiſiſſe: Barcinone. x. ipſo die tranquillo mari, ac ſecundo vento Genuam appuliſſe: Magnam ei à cuncta pene Italia gratulationem factā: inde auditis legationibus, quæ multis ex locis ad eum conuenerant, cum honeſtiſſimo comitatu per Apennini tramites, ad veteranorum legiones, quas in Gallia habebat, atq: item ad

S noua

noua auxilia, quæ nuper ex Germania descenderãt, Placentiam venisse: eius itineribus tantum abesse, vt vllo aut agri, aut oppida incommodo afficiãtur: vt à grauissimis calamitatibus eo iam præsente Italia respirare, atq: ad optimam futuri temporis spem erigere se videatur: ipsum quidem plurima & maxima iustitiæ, clementiæ, liberalitatisq: suæ documenta dedisse: Iam Bononiam ad Pont. Max. de cõmunibus rebus consilii capiendi causa venisse. Si ad hunc modum de publicis priuatisq: rebus, de forensibus, ac domesticis egero, de re bellica, de agrorum cultu, de ædificandi, nauigandiq: scientia, de tuenda curandaq: valetudine, de artibus deniq: ac scientiis omnibus: Si inquam satis cuiuis rerum generi, sua ac certa dicendi ratione fecero: Quis veteres aliter dicturos fuisse existimabit? Sed non possim ego fortasse: neq: satis scio, an quæ dixerim perinde dicta sint, ac dici oportuit. At nihil mihi plus assumo, quam quantum vos mihi tribuendum putetis: At qui possint, neque nobis pueris, aut adolescentibus defuerunt: neq: nunc desunt: Ferri enim non potest: quod aiunt isti, linguam latinam ex recentioribus neminem adhuc adeptum: At ego multos habeo nominare, qui latinæ orationis facultate cum antiquis hominibus comparari posse videantur. Quid enim, Io. Pontanus, vir ingenio & doctrina sin-

na ſingulari, tam multis voluminibus non magnam rerum varietatem copioſe, grauiter, & ornate tum verſibus, tum ſoluta oratione tractauit? Quid M. Antonius Sabellicus, tot ætatum ac gentium res geſtas indefeſſo prope ſtylo proſecutus, quam poſteris latinitatis partem, in tanta voluminum turba deſyderandam reliquit? Et quoniam hiſtoriæ mentio facta eſt: is, quem nuper immaturo fato ereptũ Muſæ prope ipſæ lugent: Andreas Naugerius, quan tam pro ingenio iudicioq; ſuo, ac multiplici bonarum artium, quibus ab ineunte ætate deditus fuerat, ad Venetæ Reip. hiſtoriam, latinæ orationis copiam afferebat? Quam vero in eodem prope ætatis flore conſumptus Chr. Longolius doctrinæ indolem, quam latine dicendi ac ſcribendi, homo in extremis Germaniæ ne dicam, an, vt ipſe maluit, Galliæ finibus natus, copiam, ac vim præ ſe ferebat? Quod ſi poetarum, in hoc quaſi latini nominis cenſu habenda ratio eſt: Quis in Actii Sanazari hominis prudentisſimi ac doctisſimi elimatiſſimis verſibus (nihil nunc de carminis dignitate, ac grauitate: nihil de rerum diſpenſatione, nihil de numero, & compoſitione, nihil de ornamẽtis loquor) ſed quis in eius verſibus verbum vnum, aut ſententiam vnã offendat, quæ non ẽ medio latinitatis fonte hauſta videatur? Iam vero quid eſt latine ſcribere? ſi quæ

vir clarissimus ac grauissimus Iacobus Sadoletus optimis quibusq: artibus præclare instructus & ornatus scribit, non omnes videntur latinitatis numeros implesse? Quid summis ornamentis honoris, fortunæ, virtutis, ingenii præditus, atq: idem elegantium omnium doctissimus, doctorum elegantissimus P. Bembus, quam in scribendo latine, orationis aut excolendæ, aut expoliendæ partem omisisse videri potest? Mitto ingenii, ac latine dicēdi facultate summos viros: Quibus certe absentibus sua laus, locusq: suus non defuisset: Sed cum intelligam, graues ac prudentes viros in os cū laudētur, ægerrime pati cōsueuisse: illos debito potius testimonio fraudabo: quam ab istis subsellis intēpestiua laudatione offēsos dimittam. Sed tacitis vestris cogitationibus auditores existimandum relinquo: Qui ex iis ipsis, qui inter vos sedēt, non latinam modo, sed grauem etiam & ornatam nostri tēporis historiā scripserint. Qui carminis aurea vena, cui prima de poetis palma deferēda sit, controuersum fecerit: Qui latinæ deniq: linguæ studio, cognitione, exercitatione, antiquarū literarū memoria, ætatis nostræ rubiginem absterserint: offusam latino lumini caliginē discusserint: Sed & eos, eo quod nihil in præsentia me eorū laudibus plus debere intelligo, quā quantū ipsi gratis ac libētibus animis accepturi videātur: missos facio

cio.Et alios itē cōplures prætereo: neq: enim mihi hoc loco oēs, quibus iure latinæ linguæ laus attribuēda videatur, colligere propositū est. Sed si, quos ante nominaui, latini nō vidētur, certe ex vetustissimis multi, qui nihil videri posſūt purius aut castigatius locuti: erūt ab hoc latini nominis cēsu remouēdi. Sed me rationū copia in istorū opinione refutanda lōgius prouexit: Quod si cui sum visus, quā esse alias cōsueuerim, redundantior: is sciat fuisse multarum mihi rationū præsidio, contra spectatissimorū in omni literarum genere hominum autoritatē pugnandum. Cum enim autoritas plerunque veritati fraudem faciat, ad magnam certe iudiciorum corruptelam peruaderet: nisi existerent, qui eius quasi aciem rationum robore retunderent. Audistis igitur auditores, & attente quidem, quo nomine vobis etiam gratiam habeo: audistis, quæ rationum præsidia, ad istorum veluti munimenta oppugnāda compararim. Ostendi enim primum, hunc duplicis linguæ vsum non quia nouus sit, protinus contemnendum: neq: .n. nouitate, sed vtilitate quanti sit quæq: res facienda, metiendum: Multa noua magno hominibus vsui, ac commodo esse: Verum non aliā esse à latina popularē hanc linguā: sed corruptam ex ea, & uitiatā: Sinceriorē illā & grauiorē doctorū orationi, hāc pleb. & multitudinis sermonibus opt. cōuenire.

Ostendi

Ostendi deinde latinam linguam colere, non esse, quod ipsi interpretantur, maiorem quam patriæ & natiuæ honorem habere: sed cum vtraq: patria sit, veriorem & incorruptiorem, falsæ ac pollutæ temporum vitio, anteponere: Atq: id esse, propemodū ex oris dignitate, ac matronali, vel etiam regali cultu, & ornatu, veram matrem agnoscere: deformem, fictam, & fucatam, ac nudam etiam, & inopem, atq: eam, quæ ne lingua quidem recte nominari possit, ad plebeia plane & vulgaria opera amandare. Ad hæc ostendi, non fraudari linguæ latinæ studio, liberalium artium, ac scientiarum genus vllum, vel minima temporis eius parte, quod in iis artibus consumendum sit: cum sit omnino ea lingua, qua illæ traditæ sint, cognoscenda: Ad linguam vero intelligendam prope necessariam esse scribendi exercitationem: cum præsertim grauissimæ sæpe res oratione sint pertractandæ: quas nullo pacto sustinere possit styli popularis infirmitas. Ostendi postremo & necessariam esse eius linguæ cognitionem, qua internuncia & interprete, cum exteris nationibus quā facillime coniungimur: Et eam adipisci nō esse tam infiniti, quam isti fingunt, laboris: Cum tam multi & nostri, & patrum nostrorum æquales, plurimis & pulcherrimis monimentis, eam se non difficillime consecutos testatum reliquerint. Quid iam igitur restat

restat auditores? Nempe vt pro meo in vos amore, ac in studiis vestris iuuandis & ornandis perpetua cura ac sedulitate, non solum vos magnopere hortter:verum etiam orem,atq: obtester:vt veteris latinæ linguæ longe castisimæ ac purissimæ vsum, veris ac perspicuis rationibus adducti, constantius retineatis: quam aut sola hominum autoritate commoti,aut rei nonnulla difficultate deterriti, ad nouæ huius tam inquinatæ, ac corruptæ consuetudinem delapsi videamini. Nihil à vobis noui aut inusitati contendo.Non posim,si velim: neq: fortasse velim,si posim, popularem linguam exterminare: Sed ea perinde vtamini cēseo: ac maiores vestri vsi sunt: vt cum familiaris ei sermonis, Iocorum ac lusuum vestrorum partes tribueritis, quidquid graue,magnificum,sublime, excelsum, perpetuæ orationi mandandū fuerit: ad vnius omnium pulcherrimæ,atq: vberrimæ linguæ opem cōfugiatis. Non proponam vobis exempla aut Syrorum,aut Scytharum, aut Thracum, qui patria lingua spreta & contempta, se ad Græcam excolendam contulerunt: Non Hispanorum,aut Gallorum, qui Rom. Imperio incolumi,à latina lingua dicendi ac scribendi auxilium expetiuerunt. Intra hos centum & quinquaginta fere annos,nonne Hetrusci homines,excellentes,iudicii,ingenii, doctrinæ etiam laude viri, non dicam

dicam, multo maximam eos ſcriptorum ſuorũ partem latina lingua cõtexuiſſe: Sed non ne ii nihil ſuæ pluſquam ei conuenire videretur, tribuentes, quantum ope, ſtudioq: ſuo eniti, atq: efficere potuerũt, eandem latinam temporum ruina iam prope oppreſſam, ac ſepultam erexerunt, & excitarunt? Quorum poſtea veſtigiis inhærentes doctiſsimi, & eruditiſsimi totius Italiæ homines, eandem linguam tam diligenter & accurate, tam etiam feliciter excoluerunt: vt mihi munitam iam, & mollem uobis ad eã in priſtinum decus, ac dignitatem reſtituendam viã reliquiſſe videantur: Videte igitur, ne quam illis pulchrum fuerit latinas literas lapſas reſtituiſſe: afflictas excitaſſe: iacentes erexiſſe: tam uobis turpe ſit, confirmatas iam & florentes tueri, & conſeruare non poſſe. At illud quidem ipſa uobis ratio facile perſuadere poteſt: ſi latinæ linquæ (quod Di omen obruant) conſuetudo, qua maxime ſcientiarum varietas cõtinetur, de medio tollatur: breui quicquid inter nos adhuc humanitatis uiget, optimarumque artium interiturum. Vos appello Italici nominis iuuenes: vos inquam appello: quos in primis eloquentiæ appetentes, atque auidos eſſe decet: Pati ne uos poteſtis, eam linguæ gloriam, quæ propria maiorũ veſtrorum fuit, profugam, neque magis temporum iniquitate, quam quorundam hominum peruerſitate,

tate,dicam enim iusta indignatione impulsus,liberius,eiectam, in exte rorum & prouincialium hominum sinum confugere? Ac mihi credite, nisi hanc nostri nominis, iam tot secula peculiarem laudem, omni vi,opeq: nostra in Italia retinuerimus,non defuturos, qui ad se eam in prouincias confugientem liberaliter excipiant: ac nostrã etiam socordiam & inertiam illudentes,arctissime complectantur.Excitate vos per DEOS immortales, optime ac liberalissime instituti adolescentes, ac pro vestris his veluti Imperii reliquiis strenue ac fortiter pugnate: Hanc uindicandæ linguæ causam gnauiter ac viriliter suscipite:Quod eo alacrius facere debetis:quod Deorum placabilitate, atq: infinita prope in nos clemẽtia,superiorũ tempestatum impetu compresso, nullum incommodorũ,aut calamitatũ genus vestro iã ocio ac trãquillitati aduersatur.Non verendũ nunc est:ne illa intolerãda annonæ caritas, aut cœli insalubritas,aut superbissimorũ & infestissimorũ agminũ irruptiones,studiorũ vestrorũ cursũ interpellẽt, atq: animos vestros molestiarũ molibus oppressos teneãt.Læta iã,salubria,ac secunda omnia: ac breui etiam,in spem maximam, & quemadmodũ cõfido, certissimam sumus adducti: Caroli Cæsaris, viri vnius omnium,quicunq: nati sunt, inuictissimi, ac fortunatissimi,virtute,animi moderatione, ductu,

& auſpiciis, Clementis etiam. VII. Pont. Max. conſilio, prudentia, autoritate, vniuerſam Italiam pacatam, atq: omnium periculorum metu vacuã fore. Quæ vero vobis ad hanc prouinciam capeſſendam præſidia deeſſe poſſunt? Ingenia ſane veſtra longe cœterarum gentium ingeniis antecellunt: Ciuitas certe hæc, in quam diſcendi ſtudio incitati conueniſtis: cum pacata eſt, & quieta, ac rerum omnium copiis exuberans: tum bonarum artium præceptis atq: inſtitutis, præſtantiſsimiſq: dicẽdi ac intelligendi magiſtris abundat. De me vero tãtum vobis polliceri poſſe videor: in veſtris ſtudiis inſtituendis, ac ad latinæ linguæ copiam deducendis, quantũ à ſumma doctrinæ laude abſim, tantum me à ſumma ignauiæ ac negligentiæ reprehenſione abfuturum. Poſtremum illud eſt, vt vos moneam: duo eſſe eorum hominum genera, qui vos à Latina lingua capeſſenda deterreant: Vnum eorum, qui cum, quemadmodum in Græcorũ prouerbio eſt: aulædi ſint, quod citharoedi fieri non potuerunt: veſtra ingenia ſuorum infirmitate metiuntur. Alterum eorúm, qui quæ ipſi honoris, fortunæ, nominis ornamenta conſecuti ſunt, ea vobis magnopere inuideant: Quorum alterum contemnendum: Alterum etiam odio habendum cenſeo.

ROMVLI.

ROMVLI AMASAEI DE RATIONE ET ORDINE STVDIORVM SCHOLA.I.

V ICESIMVM, Auditores, publici huiusce muneris annum ingredior: ætatis vero eum, quo natu multo maiores, ad hoc publice docendi munus capessendum, aliquot ordinis mei homines, maturitatem sibi suam nondum aduenisse iudicarunt. Nam cum ab vndeuicesimo ætatis anno, omne meum tempus, cum Patauii, tum Bononiæ, In Græcæ, latinæq: linguæ auctoribus publice explicandis consumpserim, Illi quinquagesimo, aut eo etiam natu grandiores, tanquam ex vmbraculis in Solem, ac puluerem prodierunt: Reliquo omni tempore, aut sibi (vt aiunt) & musis cecinerunt: aut certe domestica contenti solitudine, tandiu, quasi frequentiam, ac lucem hominum reformidantes, vestro isto multo iocundissimo, atq: ornatissimo conspectu, atq: hoc ad agendum amplissimo loco caruerunt. Rectius vero ne illi, an ego fecerim, in præsentia non disputo: neq: meo, quam illorum consilio plus faueo. Illos quidem fortasse nihil pœnitet, suis ipsorum commodis inseruisse: & multorum quasi annorum messem, ad recentis laudis sementem reseruasse. Ego vero facillime patior: aliun-

de iam mihi,quam ex nouitate, gratiam quærendā: dum quantum tot annorum cotidianis operis,& vi giliis profecerim, crescenti præceptis, monitisque meis, & se ad nominis claritatem in dies corroborante,ornatissimorum,ac mei amantissimorum,cū ciuium, tum exterorum iuuenum laude metior: Et nullum recordor à me tempus, de vniuerso ve-stro isto longe honestissimo ordine benemerendi prætermissum: Atq: illos intelligo nihil plus ex o-cio,ac pene cessatione sua sibi fructus cepisse, quā quantum ex perpetuo labore,& assidua exercitatio ne mea,ad multorum ingenia ornanda, & expolien da,adiumenti redundarit.Atq: vt adhuc vobiscum libentissime satis longam ætatem egerim, Illud mi-hi non mediocriter lætandum video, quod nihilo sint illi,qui tanto serius in hunc campum descende runt,ex naturæ,& humanæ conditionis lege, ad be-ne de vobis in posterum merendum,longius quam ego tempus habituri; Vt neq: quod temporis iam effluxerit illi reuocare, Neq: ego tamē nō possim, quantum ipsi posthac ad hoc exercitationis genus ætatis suæ contulerint, vel exæquare, vel etiam su-perare. Quod si quis me vel temporum,vel fortu næ meæ casus præter cōsilium,volūtatemq: meam, à vobis abstraxerit: Dabo certe operam,vt cogita-tionum vobis mearum, aut animis vestris, aut lite-

rarum

rarum monimentis consignatam memoriam relinquam: Vt cuius & præsentis,& viuentis voce,vestra iuuari studia senseritis,sublati etiam quouis ex oculis vestris modo,studium,& officium non desyderetis. Ac nunc quidem (quoniam quæ certo consilio dilata fuerint, sæpe inopinato aliquo casu, aut temporum euentis,nostro arbitrio,ac potestati eripiuntur) cum hic idem annus,vt ante dixi,& muneris mei vicesimus,& quinquēnalis, quod mihi cum Senatu Bononiensi intercedit sacramenti, postremus aduenerit: Vtar hodierno die, hac in tam frequenti consessu agendi facultate : quam vt annuam & statam mihi dari,& sperem,& optem,præstare tamen nullo pacto possum: Ac quam potero breuiter,& enucleate, de studiorum vestrorum ratione disseram: Quo simul & satis multis,qui hoc de genere me in priuatis sermonibus consulunt, faciam: Et quicunq: in posterum sit rerum mearum status futurus,huius diei vocem,certæ, ac definitæ sententiæ meæ testem , ac veluti expressam relinquam meæ mentis imaginem. Dicam igitur,quem expedire putem vos studiorum cursum tenere. Vos dum strictim quod proposui,persequor,eadem oratione meam attentione, quam mihi semper ante in his studiorum exordiis præstitistis, prosequimini. Omnes uos quidem auditores, qui rectissimarum

artium

artium ſtudio inflammati,ad hæc ſanctiſsima, atq: auguſtiſsima Muſarum templa cotidie conuenitis, ueræ nimirum eſtis fœlicitatis iter ingreſsi: Sunt.n. cum à virtute, ac ſcientiarum ſtudiis diſceſſeris, cætera omnia,quæ homines in bonis ducunt, fluxa & caduca,parumq: homini propria:ac plerunq: etiam pernicioſa,atque omnino minime digna,quæ tanto labore,ac ſolicitudine expetantur. Laudi ducuntur maiorum imagines,& familiæ ſplendor: Sed hæc illis eſt laus attribuenda,quibus generis accepta refe rimus initia: Pecuniæ honos habetur: At eius omne ſibi ius fortuna uindicat: quippe, quæ erepta ſæpe opulentis ac beatis bona, ad tenues, & egentes tranſtulit: ac plerunq: quo quiſq: indignior, eo copiis eſt abundantior: Adde quod opes libidinis nõnunquam,luxus, & libero homine indigniſsimarũ uoluptatum fomenta ſunt. Expetitur pulchritudo, & bona ualitudo,at illa ſemper ætate defloreſcit,& utraque ſæpe morbo corrumpitur. In gloria ponitur corporis robur: Sed cum ſapientia coniunctæ uires,iis,qui earum compotes fuerint, præſidio eſſe ſolent: per ſe, magno multis damno, ac calamitati fuerunt: Et certe multis animantium generibus ſuũ hoc natura munus, multo quam homini liberalius detulit. Virtutis verò, & honeſtiſsimarum quarunque artium ſtudium immortalia plane,ac diuina, & maxime

maxime homini propria sunt bona: Quæ cũ duas humanæ naturæ principes partis, rationem scilicet, & orationem instituant, & exornent, Ea qui consecuti sunt, & sibi semper recte consulunt: & nunquã noua desinunt, ad communem hominum utilitatẽ meditari: Atque ea quidem nec fortunæ subiacent casibus: nec senio læduntur, nec morbo uitiantur. Sola enim ex omnibus mens, qua duo hæc continentur, & ab aduersis casibus ualentior exoritur: & ab ipsa senectute, qua cætera comminuuntur, ac debilitantur, usum ipsa firmiorem, ac scientiam maiorem acquirit. Iam uero cum bellorum impetus, torrentis more, omnia prosternant, ac diluant, sola nõ possunt bene, ac præclare instituti animi ornamenta conuellere. Præclare itaq: Stilpo Megarensis, cuius cum patriã Macedones diripuissent, quæsissetq: ex eo Rex Demetrius, ecquidnam rerum suarũ amisisset: Græce ille quidem aptius, ac significãtius, sed in hanc ferme sententiam: Bellum, inquit, de uirtute nunquam triumphat. Præclare etiam Socrates, de quo cum Gorgias quæreret, quidnam de Persarum Regis fortuna sentiret: nondum, inquit compertum habeo, quantum in disciplinis, bonisq: artibus profecerit: Quod scilicet non extraneis, & aduentitiis bonis, sed sola uirtute niti fœlicitatem statueret. Ad quam cum uos Auditores, quasi uitæ humanæ

manæ metam, per doctrinarum curriculum videā equis, uirisq:(ut aiunt)contendere, pro mea summa in uos beneuolentia, uobis mediusfidius magnopere gratulor: ac si ad ea, in quibus estis, studia, alacriter, & perseueranter incubueritis, bene & fœliciter uobis, patriæ & parentibus euenturum spōdeo. Sed enim cum in his ipsis studiis capessendis, propter iudiciorum uarietatem, ac disimilitudinem, in diuersas plerunq: animi iuuenum sententias distrahātur, qua nam ego uobis uia ad dicendi cognoscendique laudem maturandum censeam? Hic cum uos uniuersos non posse intelligam, una, & eadem lege alligari: Diuidam sententiam meam, Describamq: totum istum ordinem uestrum in duas classes: ac cum earum utrique, separatim, suis aptum rationibus cō silium dedero, ad sua utrosque(uti spero) munia obeunda alacres, & paratos dimittam. Nam si liceret Auditores, ex sua cuique uoluntate, ac iudicio pendere, ac posset suis quisque (ut inquit Poeta) uitam auspiciis ducere, Vnam ego nossem, ac monstrarem omnibus communem, ac nisi me animus fallit, ad animi bene, & præclare à Natura informati uitā, multo accommodatisimam discendi uiam. Nunc uero cum alios uestrum intelligam summa uti posse, perinde ac uelint, uiuendi libertate ac facultate: Aliis siue ad parentum imperia, siue ad ingenii, seu, quod plerunq;

plerunq: grauius eſt,& acerbius, ad rei familiaris tenuitatem conſilium accommodandum: vt aut horum vnum duntaxat, aut vnum, & item alterum, aut nonnunquam omnia, egregiæ voluntatis ardorem reſtinguant, ac tanquam currentis obiecta repagula retardent: Superiores illos, quibus nihil omnino officit, quo minus quam potiſsimum velint, & quam velint diu viam inſiſtant, luculentis quidem copiis inſtruam,& ornabo: neq: tamen illos, quibus multis eſt difficultatibus ad ſummam gloriam aditus obſtructus, non ſua quaſi dote ſubleuabo: cum quo minus quod volunt poſſunt, eo ſint benignius, atq: amantius, vt id quod poſſunt perficiant, adiuuandi. Quid enim? aut parentum imperia ſancta nō habeant, vt ſcilicet æque è Titanum eſſe genere, vt qui Magiſtratibus aduerſantur, vt à Platone ſcriptum eſt, eſſe videantur? aut naturæ & fortunæ refragentur? At quid vtraq: in rebus humanis aut imperioſius aut violentius? Qui poteſt autem eſſe infelicior conatus, quam vbi ab ipſo ſtatim pugnæ initio victoria deſperatur? His igitur ego ſuadeo, vt cum grammaticorum, Rhetorum ac Dialecticorū primis illis rudimentis eouſq: fuerint imbuti, vt & ſine vitio loqui, ac ſcribere poſsint, ac nonnullam perceperint commode diſſerendi, & apte, atq: ornate dicendi facultatem: tunc quodcunq: ſibi ſemel

V propo-

propoſuerint ſtudiorum genus,in illo cogitationẽ, tempuſq: ſuum omne conſumant: ad alia vero ſtudia,nunquam niſi aut colligendi ſui,aut maxime neceſſarii auxilii implorandi cauſa digrediantur. Quare & ad Poetas illi accedent, cum conceptam è ſeuerioribus,ac magis tetricis, quæ cõſectantur ſtudiis, miſeriam volent (vt poeta inquit) animo expuere: deinde cum modice fuerint ea voluptate perfuſi, quæ ex numerorum concinnitate, & fabellarum feſtiuitate exiſtit,ſtatim ab illis tanquam à Sirenum illecebris refugiant:neq: quod ſapientiæ genus in eorum ſit penetralibus abditum, aut quæ bene beateq: viuendi præcepta figmentorum inuolucris tegantur,quicquam putent ad ſe pertinere:vt ab aſſiduo labore,ad eos,tanquam ad pilam, taloſue,aut teſſeras, non tanquam ad vitæ magiſtros ſe contuliſſe videantur. Neq: tamen fieri poterit,quin vel tantilla eorum cõſuetudine, excitari ſe,ac quemadmodum plectro cientur nerui, ſic animi quaſi igniculos poetarum afflatu ſentiant ventilari: Vnde agiliore, vt ita dixerim, ſpiritu delibato, ad priſtinam ſuorum ſtudiorum conſuetudinem, non modo nouati,ſed etiam confirmati redeant. Cum Hiſtoricis vero agãt velim aliquãto familiarius:atq: iis præcipue,qui ſtylo quæ Reges, & Populi geſſerint, ita fuerint perſecuti, vt antiquiſsimã incorruptæ veritatis

tatis rationẽ habuerint. Eſt enim, ſi antiquitatis memoria, ſi hominũ, rerũ geſtarum, locorum, temporum, deſcriptiones, è veterũ monumentis excepta, animo non contineantur, vita omnis nõ incondita tantum & rudis: ſed plane puerilis, & ad omnes humanarum rerum caſus, ita propemodum ſtupens, vt cui noua ſint omnia & inaudita. Ad quoſcunque tamen rerum ſcriptores diuerterint, mature ſe intra fines ſuos recipiant: & ad excurrendum ſibi non ad commorandum ſpatium datum putent. Vnum eſt, quod à ſuſceptis quilibet ſtudiis, non modo alienum exiſtimare non debet: Sed cum omnibus artibus ac diſciplinis, actionumq; generibus ita coniunctum eſt, vt facilius poſsit ſpiritus ab animante natura, aut à vita lumen ſeparari: Id vero aliud profecto nihil eſt, quam dilucide, copioſe, grauiter, & ornate dicendi facultas, quam eloquentiam appellamus. Cum enim duas Natura hominum generi maxime peculiares dotes ſit elargita: in quarum ineſt altera intelligendi, ac iudicandi vis, quam rationem nominamus: In altera orationis facultas: Ac earum quidem utraque ad frugem optimam per doctrinam proficiat, an non is naturam debita induſtria defraudat, Qui cum ad alteram excolendam omni niſu incubuerit, alteram omnino neglexerit ac pro nihilo habuerit?

An non animaduertunt isti, ex veteribus eos, quos in Dialecticis, quos in Physicis, quos in ciuili iure, quos denīq: in medendi scientia auctores summos habent, Quorumq: scripta tanquam diuinitus missas voces venerantur: ad eam, qua maxime floruerunt, rerum amplissimarum prudentiam, factæ, & elaboratæ orationis splendorem & elegantiam adiunxisse? De quo quidē genere icc irco minus multa in præsentia dico: Quod sæpe ante hoc ipso in loco, tam plene, tamq: accurate hanc egi causam: vt cum quæ ante dixerim, solitus sim de industria repudiare, vix hæc pauca, quæ nunc dicerem, ab illis diuersa suppeditarint. Ego mehercule Auditores, omnem existimo quamuis amplam, & magnificam rerum cognitionem, nisi orationis pulchritudine commendetur, non imperfectam modo, & mancā, sed ieiunam etiam, & insulsam, ac, vt verius dixerim, obscuram, & infantem merito posse iudicari. Quare si me audiant, quos fide, ac beneuolentia summa, in hac orationis meæ parte, in maxime accommodatam ad vitæ suæ rationes, discendi viam deducendos suscepi: ex Ciceronis librorum omniū frequenti lectione, & crebra, atque apposita ad ea, quæ in dictionem aliquando suam cadere posse putent, exercitatione, tantum sibi in dicendo facultatis comparabunt: vt cum illis fuerit (quod frequenter con-

ter contingit)aliqua de re differendum, & suis non alienis copiis, quas propter,orationis inopiam sæpissime emendicare coguntur,confidant: & à rerũ, de quibus dicent, dignitate orationis forma non longissime recedant. Vnum ad hanc iuuenum classem instruendam restat: quod ne videar eorum festinationi moram iniicere,timide,& diffidenter attingo.Id vero est Græcæ linguæ studium: Quod vt non omnino sibi necessarium, qui iuris prudẽtiam complexi sunt,concedi velint:non negarint tamen, opinor,ad ea explananda, quæ in suis voluminibus magna ex parte vitiata,& corrupta legũtur, magno sibi adiumento esse posse Græcos eos libros, quæ Paudectæ Græca voce appellantur: In quibus quoniam prisca veterum iuris consultorum auctoritas, & maiestas sanctius multo,quam in latinis commẽtariis conseruata est, qui ad eas tanquam ad. xv^{m}. libros se cõtulerunt, vel in legum quasi naufragiis, tanquam ad sacram anchoram confugerunt, sæpe sunt certissima nacti præsidia. Et certe vocũ multarum, quæ à Græcis ad nos emanarunt, vim & naturam,de qua sæpissime iuris consulti digladiãtur, qui literarum Græcarum nõ sit expers,facillime possit ex ipsis linguæ græcæ primordiis elicere. Quanto vero ea res paucis quibusdam,cum Italis, tum exteris hominibus honori fuerit: licet ex eorum voluminibus,

luminibus,qui in manibus ſunt,iudicare.Verum ut hunc laborem noſtris iuuenibus, qui longe diuerſam iuris ciuilis cognoſcendi uiam ingreſsi ſunt, ac puriſsimis ſæpe fontibus relictis turbidos riuulos conſectantur,condonemus:Iam Philoſophorum,& Medicorum cœtus, quonam ſibi ore à Græcis literis immunitatem poſtulet? cum ipſimet ſcientiam ſuam,aut certiorem,& conſtantiorem, aut certe puriorem,& magis perſpicuam ex ipſo, unde in minus latinas (vt leuiſsime dicam) literas defluxit, capite accerſi poſſe fateantur. Quorum è numero nonnulli ea auctoritate, & doctrina viri,quantam ſine Græcis literis adipiſci potuerunt, facile quid hoc toto de genere ſentiant, declararunt: cum ex iis quidam iam grãdes natu, Græcas literas didicerint:Liberos alii ſuos Græcis in primis literis erudiendos, & imbuendos curent. Verum cum iam ſatis eos, quorũ eſt certis finibus ſtudiorum curſus definitus, pro animi mei ſententia ornarim:Dum ad eos,quorum ſtudia non aliis,quam quibus humani ingenii uis,& acumen,terminis circunſcribũtur,præclaram, & luculentam ornamentorum copiam congero: & ipſi grato animo ſententiam meam accipiant:ac reliqui ad alios deferri, quæ ipſi in medio relinquere coacti fuerint,non moleſte ferẽtes,ſe cũ illis benignos, tum mihi in reliquis orationis meæ partibus audiendis,

dis, æquos & moderatos præbeant. Adeste igitur iam, quos & cœlestis ille præstantis ingenii vigor, & æquissima parentum indulgentia ad laudē excitat: quorumq; progressus fortunæ lenitas secundissima aura prosequitur, ac dum ad veræ, solidæq; gloriæ spatia, à quibus aduersissimi tum communium, tū meorum me temporum casus auerterunt: vos fidelissime, atq; amantissime deduco: sedulitatem meā, attentione, silentioq; vestro adiuuate. Ante omnia, huius, quod inchoo operis fundamētum mihi iactū velim: quoniā hos multiplici rerum cognitione instructos, atq; ornatos volo: Ne nimis magnum illis onus videar imponere, Quæ sciri cognosciq; possint omnia, ea naturam omnium hominū intelligentiæ subiecisse, eadem vero esse, quæ semper fuerūt: Et si semper ante, omnes omnia cognouerūt: & nūc posse omnes omnia cognoscere, & quæ singuli ante inuestigando, & explorando consequi potuerūt: eadem nunc singulos, & indagare, & sciētia posse, atq; animo cōprehendere. Vt enim quæ orbis terræ partes habitari, coliq; possunt, ab incolis suis tenentur & quæ habitari possunt, oēs ab omnibus: neq; plus vnquā suo corpore singuli, quā nunc loci occuparūt: Sic propemodū quod aut mente, aut sensu percipi potest, id percipi potest ab vniuersis: Et quod vnius aliquando sit intelligendo mens, consecuta,

nihil

nihil certe prohibet, quin idem ab eorum, qui nũc viuunt, aliquo percipi & inteligi poſsit. Magna hæc, & late patens quæſtio: Verum ſi id mihi dari, vt Geometræ ſolent poſtulanti, concedatur, ne ſcilicet argumentando, quod eſt mihi temporis aliò conferendum, in prima huius loci ingreſsione conſumam: agã & ipſe liberaliter, & in reliquis æquior ero multo, quam vt ab iis, qui ſententiæ meæ forte repugnent, pro ſummo iure meo mihi putem omnia obtinenda. Si poteſt igitur ex his, qui nũc ſunt, aliquis, tantundem intelligendo conſequi, quãtum è veteribus vel Græcis, vel Latinis ſcierit, qui ſciſſe plurimum iudicetur: Poterit certe ex hoc meo Iuuenum delectu, vnuſquiſq:, ad eam, quam & animo continuerunt, & literarum illuſtribus monimentis teſtatam reliquerunt, doctrinarum illa lumina Plato, Ariſtoteles, M. Tullius Cicero, M. Terentius Varro, ſcientiam, & eloquentiam aſpirare. Sed non eſſe dicat quis noſtræ ætatis ingenia cum Veterum ingeniis conferenda: mihi certe probari nunquam potuit: cum in rerũ natura ita ingeniorum, vti cœterarum rerum, nũquam eſſe deſinant exemplaria: ex illis ætate noſtra non gemina, & ſimillima illorum ingeniis exempla poſſe exprimi, atq: informari: neq: vero ego, qui tardiore ſint animi motu inſtituo: Verum nihil nunc volo, niſi quod ſine pugna

poſsim

posſim obtinere. Sint igitur noſtrorum hominum vel acutiſsimorum ingenia, multo quam illorum fuerunt, leuiora, atq: infirmiora. Illud etiam vel nemine poſtulante do: Scientias nonnullas, vnde ſibi illi ad perfectam cognitionem gradum ſtruebant: vt Arithmeticam, Muſicam, ipſam etiam aliqua ex parte Geometriam exoleuiſſe. Quid igitur? quid vires poſsint, facultateſq: noſtræ, ætatis noſtræ (vt ita dicam) pede, ac modulo metiamur: Veterum vero gloriam fateamur eſſe multo ſublimiorem, quã vt eam cogitando, ne dum certando conſequi poſſimus. Eximendi itaq: aliquot nobis ex omni doctorum, & eloquentum numero, qui aut nunc ſunt, aut proximo ſuperiore ſeculo fuere: ad quorũ præſtantiam noſtra contendat æmulatio. Non petam ab iis, qui nunc viuunt, exempla, non quo non poſſit, eorum vni & alteri hic honos merito haberi: ſed quod eorum, qui è vita deceſſerunt, ſublata obtrectatione, laus multo eſt illuſtrior, & fauorabilior. Floruerunt Patrum memoria Græci homines duo, ſcientiarum varietate, amplitudine, grauitate, ac ſimul vtriuſq: orationis vbertate: Theodorus Gaza, & Beſſarion Nicænus: nobis vero pueris, ac pene infantibus Latini ſex, omnibus ingenii, doctrinæ, & elegantiæ ornamentis præſtiterunt: Marſilius Ficinus, Hermolaus Barbarus, Picus Mirandula, Iouia-

nus Pontanus, Hieronymus Donatus, Angelus Politianus. Quid iam impedit? Quid prohibet, quo minus quantos eorum singuli in doctrinarum omni genere processus fecerint, eodem mea hæc, quã nunc instruo, lectißimorum Iuuenum claßis poßit euadere? At illi ita scientiarum omnem orbem perlustrarunt, ut cum in maximarum, & ab hominũ sensibus remotißimarum rerum disputationibus dominarentur, eorum etiam, quæ leuioris operæ esse videantur, studiorum, tanquam propriam, aut certe cum paucis communem possesionem retinerent: Et quæ illis non defuerunt, quæ nobis nõ suppeditent discendi adiumenta? Illis, de Latinis iam loquor) aut in Græciam fuit ad Græcarum literarum magistros nauigandum, aut è Græcia à quibus eas discerent, magnis inuitati, & conducti præmiis arcesendi. Nobiscum vero iam pridem, è suis pro fugæ sedibus Græcæ literæ habitant. Illi veterum monimẽta è latebris, carie, & situ eruerũt, atq: adeo ex ipsis sepulchris magna impensa, & labore excitarunt. Nobis licet luculentas librorum copias minore fere negotio, ac precio, quam fictilium, aut vitreorum suppelectilem comparare. At illi in omnibus, ad quas animum adiecerunt disciplinas, doctores nacti sunt optimos: At certe non meliores, quam quibus nobis liceat vti, si interdum non grauemur

uemur & diligenter eos, vbi vbi sint, exquirere, & inuentos officiis, atq: obseruantia, & nostra etiam nobis liberalitate deuinciamus: Neq: eorum peruersissimam imitemur consuetudinem, qui cum magna mercede conductos adhibeant, à quibus aut canes ad venãdum, aut aues ad aucupia, aut equos ad cursum institui velint: Iam non hominum dignitatem, sed pecuniæ compendium secuti, aut se, aut liberos suos contemptissimis, atq: indoctissimis hominibus erudiendos tradunt. Verum vt ad illud, vnde huc digressus sum, redeam, si potest horum, qui nunc sunt, Adolescentum, quibus & egregia ingenii indoles, & fortunæ, ac parentum obtemperãt obsequia, ad eandem quilibet scientiarum metam euadere, è qua sibi superioris proximæ ætatis homines, quos ante nominaui, palmam petendam putarunt, videri profecto nõ debeo, cuiquam nimis magnum onus imponere, si eum statuero iisdem institutum, & expolitum disciplinis esse oportere, per quas Heros ille Picus Mirandula, cum ætatis annũ nondum tricesimum secundum impleſſet, nomen suum ad certissimam immortalitatis spem propagauit. Atqui ille non Latina duntaxat, & Græca, qua æque est familiariter vsus, ac Latina, lingua contentus, Iudæorum etiam, Arabum, & Assyriorum linguas tanquam Græcam calluit. Sed licebit per me

hanc linguarum varietatem, qui volet, nihil ad ſcientiarum ſummam pertinere putet: modo vt quantum hinc detraxerit, tantum ad latinæ linguæ cultũ, & expolitionem adiiciat. Sic igitur ſtatuo: ſic definio: qui ex hoc iuuenum numero (ſatis eſt de quibus loquor declaratum) mature diſcere cœperit: Qui ad diſcendum eximiam voluntatem attulerit, ſtudium & ardorem quendam amoris, ſine quo ne in leuisſimis quidem rebus, quod expetet, quiſquã aſſequetur: qui deniq: certo, conſtantiq: ordine diſciplinarum quaſi ſpatia inſtiterit, poſſe eum Pici doctrinam aſſequi, eloquentiam ſuperare: Et veſtrum quidem nemini ſuam diſcendi tempeſtiuitatem video effluxiſſe. Quod vero in voluntate, & ſtudio poſitum eſt: Ego mediusfidius ab initio, nõ modo non eos, qui à liberalibus ſtudiis, atq: ab omni humanitate adhorrent: Sed ne eos quidem, qui eius, quæ à literarum ſtudiis expetitur, gloriæ, admirabili quadam cupiditate non flagrarent, conſilio, iudicioq: meo iuuandos ſuſcepi. Reliquum igitur eſt, vt de ſtudiorum veſtrorum ordine, & ratione carptim pauca, & breuiter exponam. Verum quod diei tempus eſt, non poterit hic meus, quo à me deducitur peruenire. Conſultius itaq: fuerit, & ad cõmodi veſtri rationem magis appoſitum, ſi craſtino die hac ipſa hora, in propoſitam viam reductum,

ad cur-

ad curriculi eum ſui calcem fuero proſecutus. Vos vero Auditores ornatiſsimi, ſi moleſtum vobis non duxeritis, orationis meæ reliquum auſcultare, ſpero hercule futurum, vt humanitatis, diligentiæ, atque officii veſtri nihil pœniteat.

ROMVLI AMASAEI DE RATIONE ET ORDINE STVDIORVM SCHOLA.II.

VETVS eſt Græcorum illud Auditores, ab Amore, vel rudem, & à Muſis etiam alienum muſicam doceri: Et Amorem quidem Plato rerum omnium ſuſceptorem appellauit: quippe qui & timidum fidentem, & infantem diſertum, & ignauum ſolertem posſit efficere. Quæ ſi Amoris maxime propria vis eſt, mirari certe non debetis, me, qui veſtrum omnium amore prope incredibili iam tot annos ardeo, eius quaſi aculeis incitatū, in hac, quæ mihi de ſtudiorum veſtrorum ratione, inſtituta eſt, oratione, de maximis, & grauiſsimis diſciplinis agere non dubitaſſe. De quibus ſi quæ dixero, neq: à ſuſcepta re, neq: à veſtris ſenſibus abhorruerint: & veſtris ingeniis, veſtriſq: ſtudiis aptiſſima fuerint, omnem facile patior meo in vos eximio, & perpetuo amori laudem attribui. Sin vero quid

quid vobis minus probatum fuerit, omnes oratos, atq; etiam exoratos velim, vt meum bene de se merendi studium non aspernentur. Eam vero, quam idem ille Amor spiritu quasi suo mihi afflarit fiduciam, & alacritatem boni æquiq; consulant: neque eam ab arrogantia, qua nihil duco esse in vita odiosius, sed à suæ laudis flagrantissima quadam cupiditate profectam interpretentur. Sed ad eum iam, cuius gratia mihi hodiernæ susceptæ sunt partes, instituendum nostra redeat oratio: Vos eam nihil minus aut attente, aut benigne, quam hesterno die fecistis, auscultate. Principio meus hic Puer, qui me duce, & auspice, in doctrinæ, & eloquentiæ curriculum ingreditur, neq: simul omnia, neq: præpostere quicquam discat. Nam & multarum in vnum confusæ rerum formæ, non aliter quam plura opposita luminibus corpora, humanæ intelligentiæ lumen obumbrant: ac quemadmodum epularum congesta varietas, intestinum humani corporis calorem oppugnat, & sanguinem vitiat: Sic propemodum rerum ille aceruus multarum, mentem opprimens, iudicium conturbans, nullam sinit satis distinctam, & expressam rei cuiusquam notionem animo adhærescere. Iam vero qui quod suo demum tempore debuit, præpropere discere conatur: idem prope agit, ac si scandere altius, quam humani corporis grauitas,

grauitas ſinat, ſine vllo gradu poſtulet: ac ſæpe vti qui ad ſummos principes aditu non impetrato accedere conati ſunt, ipſe à Muſarũ receſsibus quaſi ad ianitores repellitur. Stet igitur illud primum, vt parentem optimam, ac prudentiſsimam opificem rerum omnium naturam imitemur: Quæ neq; ſimul omnia, ſed ſeparatim fecit ſingula: vt in animantibus Cor, ſpinam, cerebrũ: partis deinceps, ac membra reliqua: In plantis radices, fibras, truncum, corticem, ramos, frondes: Neq; ſecũdum ante aggreſſa eſt, quam primum quidque abſoluerit. Singula fiunt multa, quæ coaleſcunt, & augentur ſimul, ac mutuo ſe deinde niſu alunt, & tuẽtur: Sic perceptæ ſingillatim diſciplinæ, orbem ſuum vniuerſæ mutuis adminiculis continent: Ita ut ſingulæ per ſe inchoari & informari poſsint: non ante tamen abſoluantur, & expoliantur, quam in vnum, & eundem cœtum conuenerint, & conſpirauerint vniuerſæ. In ſingulis enim quam multa nota eſſe non poſſunt, cui notæ non ſint, aut pleræq;, aut omnes. Duo tamen ſunt, quæ eodem tempore percepta, non modo diſcentis animum non fatigant, ſed alterum alterius auxilio, ſupra quam dici poſsit, erigitur, & ſubleuatur: Ea vero ſunt Latina, Græcaq; lingua: quarum alteram aut coniungi, aut certe alteri ſubiungi ita in diſcẽdo velim, vt læua ſolet in opere dexteræ

ſuccur-

ſuccurrere. In omnibus enim diſciplinis, cum defecerint latinorum riui, è Græcorum licebit fontibus, quantum ad diſcentium ſitim explēdam ſat ſit, haurire: Et quidquid à latinis didicerimus, id in Græcis agnitum expresſius eminebit, & ad memoriam erit firmius, ac diuturnius. Has cum ratas & ſancitas leges habuerit: primum ſe Grammaticorū myſteriis initiandum tradat: a quibus cum ſimplicium vocum vim, & poteſtatem, atq: omnes mutationum, ac translationum formas, varias illas quidem, & multiplices acceperit, ac plane didicerit: quid cōuenientia, quid disſimilitudo, quid loquendi vſus in dictionis ſerie, & contextu vel admittat, vel reiiciat, atq:, vt vno verbo complectar omnia, linguæ, calamiq:, qui linguæ interpres eſt, offenſiones omnes, illorum monitis effugerit, ac latini ſermonis integritatem, & ſanitatem omnem, in Terentii, ac Ciceronis in primis, deinde etiam Virgilii libris, tanquam in ſpeculo, iiſdem magiſtris omnia denudantibus, & enucleantibus, inſpexerit: Ab illis tamen ne diſceſſerit, priuſquàm Poetarum patriam quaſi linguam, neq: communem omnino cū cœteris dicendi vſum, eorundem argumenta, ac veluti hiſtorias, fabulas, conſilia, dignitates, numeros, & ornamenta cognouerit: & optimorum etiā quorumq: lectiſsimos verſus memoriæ commendarit:

Quin,

Quin, & imitando, atq; se exercendo aliquam ab illis similitudinem arripuerit. Hinc enim & solutam orationem quasi neruis quibusdam astringet, & pleniore veluti spiritu impellet: & erit in promptu, quæ frequētissima est in doctissimorum hominum libris ad fabulas allusio, atque è re nata suppetent, quæ Platonis, Aristotelis, Ciceronis exemplo, aut sermoni, aut scriptis, tanquam oraculorum testimonia inserat carmina. Vbi vero Poetarum uireta, saltusque peragrarit, tum iisdem ducibus præeuntibus omnem rerum gestarum, & ueteris memoriæ ordinem cognoscat: Cognoscat regna omnia, & Imperia, ex Illustrium cum Græcorū, tum Latinorum scriptorum grauissimis monimentis: Vnde dictorum, factorumq; sibi reponat exempla, magno certe vsui futura, vel ad vitam instituendam, vel ad quærendam orationi auctoritatem & fidem. Cōprehendi in hac parte velim, quæ de terrarum situ, & descriptione, quæ de castrensi, ac militari disciplina, de ædificandi ratione, de agrorum etiam cultu, literis mandata fuere. Neq; enim hunc, quem tā liberaliter eductum, atq; educatum cupio, vlla in re patior, quantum in me est, rudem, aut ignarum videri. Et quoniam quæ Rhetorum olim partes fuerunt, Iam Grammatici sustinent, nihil erit, quod idem Doctor dubitet, firmum iam, &

ſuis nitentem viribus Adoleſcentem, quaſi manu præhenſum ad Oratorum veſtibula, atq: ipſa etiam atria deducere: Modo vt cum locos ei omnes conciliandi, impellendi, probandi pateſecerit, atq: omnem expoſuerit, in quouis cauſarum genere exordiendi, narrandi, confirmandi, & concludendi rationem: Tum grauitatis, tenuitatis, ac veluti cuiuſdam in dicendo temperationis formas monſtrarit: perſpicuitatis, exornationis, dignitatis lumina, & inſignia omnia notarit: Atq: ipſas planè Rhetorum arculas recluſerit: moneat illum multa, quæ primis quaſi lineis notata perceperit, clariora, & expreſsiora cogniturum, cum in Dialecticorum, & Philoſophorum Scholis cōſederit: Cum Rhetorica ita Dialecticæ, addo etiam Philoſophiæ, è regione reſpondeat: vt Dialectica cōpreſſa, & quaſi coarctata Rhetorica, Rhetorica fuſa, & late patens Dialectica, & Philoſophia nuda, & inornata, ac ſæpe etiam muta Eloquentia. Eloquentia diſerta, & compta Philoſophia recte appellari posſint. Et certe iam ante dictum eſt, eſſe in ſingulis ſcientiis, vt in elementis, primordia, in omnium complexu, tanquam in ipſa mundi compage expolitionem. Sed quò nam longius, Grammatici iam ne dicam, an Rhetoris progredietur ſolertia? Volo ne Adoleſcenti ſuo vllum det vacuũ à dicendi exercitationibus diem: Scripta

eius

eius ad Ciceronis in primis, si soluta fuerit oratio, si versus, ad Virgilii, aut eorum, quorum magis aut argumentis, aut numeris capiatur, modo optimorum exemplar, & quasi normam exigat. Aliquid nõ nunquam, quod è Græcis vertat, proponat: ac sententiam in eo genere, ac quosdam orationis tanquã habitus, & figuras retinendas, verba ponderanda, non numeranda doceat. Eius epistolam, quæ est his temporibus aptissima exercitatio, sartam (vt ita dicam) & tectam ab omni repræhensionis periculo præstet. Iam vero modo subita, & fortuita oratione, modo cogitata, & commentata interpretãtem, laudantem, vituperantem, obiurgantem, monentem, consolantem, de vniuerso genere in vtranque partem differentem, miserantem, querentem, indignantem audiat: Vocem, gestum, vultum, motusq: omnes corporis animaduertat. Age verò cum hic discipulum suum preceptor, iam altius euolaturum è sinu suo dimittet, quid monebit? quid illum memoria tenere iubebit? Primum, vt quod succisiui temporis à reliquis studiis suppeditarit, iis, quas Paulo ante significauimus, exercitationibus impertiatur, atq: eas etiam assumat, quas noua deinceps studia suggerent: Quo neq: ciuiles causas, neq: vllã quouis de genere disputationem reformidet, cum in omnem fuerit partem paratus, ac meditatus.

Deinde vt,cùm multa in posterum(quippequi iam sine cortice nare posſit) ſuo ſit per ſe ſtudio lectu-rus,optimos tum dicendi, tum intelligendi auctores,quibus familiariter vtatur,ſibi deligat:ne, vt vita prauorum conſuetudine corrumpitur , ſic aut ſcientia, aut oratio deteriorum ſcriptorum lectione vitietur. Permittat ei tamen, vt quod optimi forte non dixerint : ab iis, qui primi poſt illos cenſeantur, ſiue id ad cognoſcendum, ſiue ad linguæ vſum pertineat,mutuetur: ad eos tamen tantum,vt aliquando diuertat: cum probatisſimis quibuſque habitet,& commoretur. Tertium illud fuerit, vt lectionis ſibi ſuæ commentarios conficiat:aut potius, quo bonas horas interea ipſe maiore cum ſpe aliò conferat, à quopiam comite ſtudiorum, aut librario ſibi ſuo conficiendos curet:& in eos referat quæ magni intereſſe putet, ſi ex animo effugerint, poſſe reuocari:Res in primis,verba etiam quædam ac dicendi formas : Ita tamen,vt cogitationũ potius ſuarum inde ſubſidia petat,quam ſibi quo quid modo dicat, in illis præſcriptum eſſe velit. Eam enim eſſe rectam,& grauem in dicendo antiquorum imitatio nem, vt quemadmodum illi dixerint, non eadem, quæ illi dixerint,nobis dicenda putemus:Nam ſicu ti mella apes è tam multis floribus ita conficiunt,vt longe aliud illa,quam flores eſſe videantur: Atq: vt

in ani-

in animantium corporibus ſuccus, & ſanguis aliam longe ſpeciem præſeferunt, quam illa vnde emanarunt ciborum genera: sic eſſe à veteribus dicendi formulam ſumendam: vt noſtrum tamen eſſe, quicquid ex ea fuerit expreſſum, videatur: Quæ vltro ſe ſe oſtendunt, & offerunt, dignitatem, & grauitatem habere, quæ curioſius quærantur, inanem redolere, & pene puerilem elocutionem. His itaq: memoriæ, vel, vt Plato voluit, obliuionis potius remediis vtēdum: non vt recte dicat, quod ex aſsidua dicēdi cōſuetudine multo facilius conſequetur: Sed vt quod minus confidet recte dictum, id tanquam ad perpendiculum, aut ad amuſsim exigat: Videndum tamen eſſe, ne aduentitiis hiſce fretus auxiliis, mentis, vt ita dixerim, cuſtodias remittat: Tutius vero eſſe omnia in animi Theſauro, quam in fluxa, & caduca materia habere conſignata. Hæc prudens, & fidelis Præceptor à ſe digredientem Iuuenem moneat. Nos vero illum Grammaticorum, Poetarum, Hiſtoricorum, & Oratotum diuitiis acumulatisſime ornatum, atq: honeſtatum, ad alios iam Magiſtros vadentem cum plauſu, atq: optimis hominibus proſequamur. Et quoniam eum, cum ſatis multos peragrauerit ſcientiarum fines, & regiones, in Philoſophiæ volumus gremio conquieſcere: ad eam nimirum fuerit via munienda. Illud igitur ei veniat in

mentem,

mentem, Platonem ſcientiæ, & eloquentiæ Antiſtitem ſummum, Academiæ foribus in ſcribēdum curaſſe, ne quis intraret Geometriæ expers: Vt ſibi ſciat, aut ad Philoſophiam accedendum nō eſſe, aut iis diſciplinis aliquid operæ, & temporis impendendum, quas ii docent, qui Mathematici vocantur. Omitto enim, quod quæ ab illis de punctis, lineis, magnitudine, interuallis, planis ſolidiſque corporibus, deq: omni figurarum forma, earumq: inter ipſas disſidio, aut conuenientia ſubtilisſime differuntur, & perſpicue demonſtrantur: Tum quæ de numerorum omni deſcriptione, nexu, & quaſi iunctura: Addo quæ de ortu, obituq: & fixarum, & errantium Stellarum, deq: Cœli motu, & conuerſione: ac poſtremo de ſonis, modis, numeris, omniq: vocum conſenſu: Omitto, inquam, quod hæc omnia, quæ ſunt ab eruditisſimis hominibus acutisſime diſputata, ipſa rerum ſubtilitate, & obſcuritate ingenium acuunt, & ad contemplandi ſtudium excitāt. Taceo quod Græci humanitatis, ac liberalis inſtitutionis bonam hanc, & magnam, atq: adeo principem partem eſſe voluerint: Vt merito Ariſtippus, cum naufragio eiectus Geometricas figuras in litore conſpexiſſet, dixiſſe videatur, Bene ſperemus, Socii: hominum veſtigia video. Taceo etiam quod per has diſciplinas hominum mens intueri aſſueſcit, & quæ

ſenſi-

ſenſibus percipi poſſunt, quatenus quæ demõſtranda ſuſcipiunt, cum materia aliqua coniuncta ſunt: & quæ ſola poſſumus cogitatione conſequi, quod earum omnis deſcriptio vt nulli adhæſerit materiæ, per ſe conſiderari poteſt, Taceo poſtremo, quod hinc ſumptis certiſsimis rationibus, & quæ diſsidẽt in animis noſtris componi, & eorum concitatiores motus ſedari, aut languentes incitari poſſunt. Hæc omnia miſſa facio: ne dum quæ ab aliis copioſe de toto hoc genere diſputata colligo, vulgarem potius, & omnibus expoſitam cognitionem iactare, quam ex ſententia, iudicioq; meo rectiſsimum diſcendi iter monſtrare videar voluiſſe. Quis vero in Ariſtotelis, & Platonis diuinis illis vigiliis, ad quas ei, quem inſtituo, Adoleſcenti, maturãdum cenſeo: quis vnquam in illis ſine Mathematicorum diſciplinis verſabitur? cui non vti in Labyrintho ſine Ariadnæ filo, aut in medio Oceano, erepto Poli conſpectu, errandum perpetuo non ſit, & fluctuandum. Quare hic ſibi meus perſuaſum habeat: non ante fore cuiquam ſatis aperta & expedita Academiæ, & Lycei ſpatia, quam eo fuerit à Mathematicis intromiſſus. Viderit tamen ne eorum blanditiis delinitus, ad ampliora grauioraq: ſtudia pergere deſinat. Eſt enim apud Platonem: Haſce, de quibus nunc loquimur, diſciplinas, quanuis propter ſocordiam, &

impe-

imperitiam negligantur, ſua tamen pulchritudine vel inuitos homines, qui propius acceſſerint, detinere. Verum cum ab his iuuenis meus auxilium impetrarit, ad Dialecticos mox alacrior, & fidentior abeat. Sed ad quos nam eum Dialecticos dimittã? ad Chryſippum ne, aut Zenonem, aut tam multos é Stoicorum familia, á quibus hæc primum inueſtigata, & literis prodita eſſe dicuntur? At illi quidem tot ante ſeculis euanuerunt: neq; ſi nunc reuiuiſcerent, quæ fuit in diſſerendo obſcuritas, ſatis intelligerentur: aut eorum certe moroſitas, & ieiunitas, præ Ariſtotelis grauitate, & copia contemneretur. An ad Semilatinos neſcio quos, aut? Dic meliora. Ambages ego quenquam, & nugas iubeam conſectari? & dediſcenda diſcere? Ad ipſum volo, ad ipſum adeat omnium ingeniorum, omnium doctrinarum inſtar Ariſtotelem: & Græcorum eius interpretum auxilio, ex eius libris, qui de hoc genere, neſcias acute ne magis, an breuiter, & eleganter ſcripti ſint: cognoſcat primum ad quæ ſingulæ voces, quæ in dictionem cadere poſſint, ſint tanquam capita referenda. Deinde quam connexæ, & copulatæ ad animi ſenſa exprimenda vim habeant. Tum cum iã ex illis certæ, & ſuis circũſcriptæ finibus extiterint, aut ad affirmandum, aut ad negandum deſtinatæ enũciationes: Quid ex illis poſſit colligere, & quaſi ratio-

ratiocinari, & quæ sua sit omnibus colligendi modis constructio, & veluti figura: Ad hæc è quibus quæstionum summis generibus, & veluti perennibus fontibus, omne probabile ducatur inuentum: Iam vero quibus positis, quid aut necessario, aut probabiliter consequatur: Postremo quæ sit in altercationibus cauillatorum captiones refellendi ratio. Hæc cum acceperit, atq: in his fuerit disputationibus multum, studioseq: volutatus, tum sciat iã se (vt verba Ciceronis vsurpem) rem definiendo explicare, in partes tribuere, consequentia cernere, repugnantia videre, ambigua distinguere posse: Tenere vero omnem sine vllo errore inueniendi, ac quæ vera, quæ item falsa sint, iudicandi viam: Vnde iam magna ex parte, nube discussa, vt inquit Poeta, quæ obducta tuenti mortales hebetat visus: quæq; humida circum caligat: recta possit, atq: omni impedimento amoto, ad veri, summiq: boni cognitionem contendere. Sed ad eam iam [illegible]uentum est bonarum omnium artium, ac scientiarum parentem, vitæ magistram, veritatis ducem, virtutum altricem: Qua nihil & ad animi motus rationi parum obtemperantes compescendos, & ad hominum societatem tuendam, ac Ciuitates regendas, & gubernandas, ad conciliandum deniq: Dis ipsis hominem, est Mortalibus aut vtilius, aut melius, aut

præſtabilius à Dis immortalibus donatum, quam Græco nomine φιλοσοφίαν, Latino modo virtutem, modo ſapientiam, modo etiam, quia hominem à pecudum vita longiſsime diſiungit, humanitatem dicimus. In huius familiaritatem tam multis, tamq: liberalibus, & ingenuis artibus excultus iuuenis, iā receptus: & ab Ariſtotele primum, deinde Platone, quibus apud eam nemo vnquam fuit gratioſior, non vulgarem in modum cōmendatus, cū eius arcanis conſiliis intereſſe cœperit: Spectabit occultas & inuolutas à Natura rerum cauſas: quæ vis materiam omnem, & quicquid ex ea efficitur, & quaſi informatur, contineat: quam variæ ex ea, & multiformes expreſſæ fuerint qualitates: Vnde illa corpora extiterint, quæ elementa appellamus: Quæ principes, quæq: aduentitiæ dicantur eſſe cauſæ: & quæ diuinæ mentis, vel efficientis naturæ: quæ fortunæ, & caſus, ad res impellendas vis: Vt poſsint corpora omnia infinite diuidi, & ſecari: nec minus ea ipſa in quibus mouentur interualla: quæ motuum ſint, mutationū, & quietis viciſsitudines: Eſſe vero præter quatuor illa corpora, quintum quoddam genus: Vnde ſunt aſtra, menteſq: ſingulares: quæq: vniuſmodi ſunt & ſimplicia, atq: ea tum caduca, tum ſempiterna. Ad hæc cum vita ſpirituq: carentium omnium naturā, & formam omnem perſpexerit: animātium corporum

rum natales, interitus, partes, motus, ſenſus, progreſſus, affectiones varias, quæq; huic generi ad vitam tuendam natura communis parens tribuit, intuebitur. Inde ad humani animi habitum omnem, rationis in eo iuſtum, ac legitimum imperium, Iræ, & cupiditatis inſolentem dominatum, exteriorum cum interioribus ſenſibus conſenſum, mentis aciem intendet. Iam vero quanta cum voluptate earum rerum cauſas depræhendet, ex quibus indocta multitudo tam ſæpe & admiratione afficitur, & terroribus completur: Quæ vis fulmina, & tonitrua impellat: inuſitatos ignes accendat: arcum tam variis coloribus diſtinguat: vẽtorum prælia concitet: terram cõcutiat: aut aquis terras aperiat, aut perpetuos terrarum tractus aquis obruat: ac cum ab iis, quæ infra lunæ Globum ſunt denſa, & cõcreta, ad ea animum referet, ad quæ cum ſenſum omnem effugiant, vix mentis poteſt, & eius non niſi puriſſimæ, & acutiſſimæ obtutus collimare, vt ĩtelligat, elaborabit, è qua ſumma, & eminentiſsima cauſa, cauſarum omnium ſeries pendeat: & è ſolò ne diuinæ mentis nutu, an vero è primis, in quæ illa intueretur exemplaribus facta omnia ſint, & informata: atque vt ipſo ſemper quieſcente, circa opificem, & conditorem omnia moueantur: Iam vero cum ſatis diu longe fuerit á domo peregrinatus, cogitationem totam ad ſuum

ipsius orbem, exiguum magni mũdi simulachrum, reuocabit: Ductaq:, quantum hominum conditio patitur, à diuina prouidentia similitudine, eorum, quos ante nominaui, nostri etiam Ciceronis auctoritate subnisus, vt impetum omnem in rationis officio contineat, operam dabit, agẽdo semper aliquid cum dignitate, & decore: prudentiæ, verecundiæ, æquitatis, religionis, pietatis muneribus fungetur: Externas omnes res despiciet: nihil nisi quod honestum, & decorum sit, in bonis ducet: arduas, & periculorum plenissimas res honestatis, & vtilitatis caussa suscipiet: Nulli homini, nullis rerum casibus, nullis fortunæ minis succumbet. Cumq: se parentibus, liberis, amicis, ciuibus, cunctæ deniq: hominum societati genitum meminerit, neq: in familia sua moderanda, neq: in publicis, aut priuatis causis agendis, neq: in legibus ferendis, neq: in iure dicendo, nec in belli, pacisq: artibus colendis, studium vllo tempore, operamue suam desyderari sinet. Et quid ab hoc iam viro abesse poterit: qui suo maxime proprio pastu animum aluerit, suis veris, & immortalibus ornamentis decorauerit: Quin rerum omnium expetendarum compos, in summa animi tranquillitate vitam degat beatissimam? Et cum virtutis perfectæ perfecto functus munere, è vita non sanè exierit, sed quasi vinclis leuatus, atq: è custodia corporis

corporis emissus, in æternam, ac planè suam domũ remigrarit: apud posteros Iocũdissimam relinquat, & sempiternam nominis sui memoriam? At enim ex hoc auditorum numero non pauci, cum tam amplam me huic iuuenum classi, & ad caste, & ornate dicendum, & ad recte intelligendum, ac præclare, & cum laude agendum, materiam subiecisse attenderint, existimabunt fortasse multo vitam esse hominum breuiorem, quam vt ad hoc studiorum curriculum conficiendum, suppetere ætas posit: Ac nihil magis esse metuendum, quam ne qui hanc discẽdi viam tenere cœperit, in medio cursu, vel paulum etiam prouectus (quod multis accidit) fati sui impetu opprimatur. Est quidem vita nostrum omnium variis obiecta casibus: Neque tam celeriter quidquam, aut tam parui negocii ordiare, cuius tibi finem posit hominum quisquam præstare. Illud vero ipse videor posse affirmare: si quidquid est in studiis, omniq: veterum lectione superuacanei remoueatur, & quasi amputetur: De hac Iuuenũ manu quemuis celerius multo quæ exposui, studiorũ spatia decursurum: quam è sua voluminum innumerabili prope turba, qui vni se tantum, diuersa tamen ratione, aut scientiæ, aut studio eodem tempore dediderint, quod sibi putarint vsui fore, desũpserint. Neq: enim celerius quis è multis, & ipsa siccitate arentibus

arentibus riuis, quam è paucis & plenißimis fontibus aquam hauriet. Quare vt addat hic meus, quo discat bonam corporis valetudinem, aut tueri, aut restituere, ad lectionem suam, Galeni, Hippocratis, Dioscoridis, Pauli, Aetii, & Oribasii, Celsi etiam nostri libros: Assumat ad dicendi copiam, & doctrinæ grauitatem veteres omnes Iurisconsultos: & quæ nullo pacto prætermittenda censeo, veterum, nouarumq; legum, quibus religionis nostræ sanctitas cõtinetur, sacrosancta volumina, & Sacrarum literarũ Auctores aliquot: Vt pari sint studio, meus tamen hic, cum metam ipse contigerit, in cursu illum anhelantem respiciet. Quod ne inanem quendam esse cogitationem putemus, vt multos, quos ipse noui, omittam: non ne Picus ille Mirandula, cuius hodierno die maxime nitor exemplo, planum omnino fecit, nihil esse tam abditum, & retrusum, nihil tam fusum, & multiplex, quod quam celerrime sciẽtia conprahendere non possis: modo vt tantum, quantum opus est, & quo maxime opus est ordine discas: Is enim & diuinis scriptis suis, & sententiis nongentis, quas è mediis sciẽtiarum omnium penetralibus erutas & proposuit, & in magno hominum conuentu, Romæ, vno & altero antequam è vita decederet anno, contra ea, quæ dicerentur, defendit, facile testificatus est, nihil, aut in humanis, aut in diuinis rebus

cognosci

cognoſci poſſe, quod ipſe indagatum, exploratum, perſpectum, & cognitum non haberet. Neq: vero audiendi ſunt, qui magna & aſsidua in ſtudiis animi contentione vitam atteri, mortem ante præſcriptũ à Natura diem prouocari dictitant. Quaſi vero quæ Picum rapuit anno ætatis trigeſimo ſecundo immatura, & acerba Mors, ea è medio indoctorum grege multos, vel multis annis celerius abſumere non poſsit: aut quaſi indignæ libero homine corporis voluptates, non frequentius multo, quam rectisſimarum artium ſtudia, vitæ periculum afferant: Aut quæ vel ſatis longa, vel longiſsima etiam ineruditis vita contigerit, Doctrina, & ingenio abundantiſsimis, ac plane diuinis hominibus defuerit: Pythagoræ, Socrati, Zenoni, Platoni, Gorgiæ Leontino, Hippiæ Eleo, Iſocrati, Ciceroni, Varroni: ac non etiam & patrum memoria, & noſtra multi, cum ætatem in ſingulis ſtudiis incredibili cum labore conſumpſerint, ad extremam tamen ſenectutem peruenerint. Dederit huic meo Natura ſatis firmam corporis habitudinem, ſine qua nemini eſſe poteſt, in quocũq: vitæ genere verſetur, ſpes diuturnæ vitæ propoſita: Secũdam ipſe valetudinem, cum frugalitate, & temperantia, tum modicis, & tempeſtiuis membrorum exercitationibus tueatur: Nemo certe poterit, qui in alio quouis vel labore, & occupatiõe ſe exerceat,

ve-

vel ocio etiam desideat, longiorem sibi vitam polliceri. Quod si quis etiam inopinatus eum casus, priusquam portum tenuerit, quasi subita tempestatis vis oppresserit: Quod præclarius suæ indolis, suæ animi magnitudinis dare specimẽ posit, quam si hominibus iudicandum reliquerit, cum immortalitatis amore flagraret, pro ea breuem hanc, & caducam vitam æternitati deuouisse? Est enim omnibus definita Mors: Sed præclare institutum, atq: informatum à Natura hominẽ decet, magna spe res magnas, & omni laude dignissimas capessere: putare vero sibi vitæ spatium, non his angustiis, quas nobis ad viuendum Natura dederit, sed sempiterno gloriæ cursu metiendum. Exposui vobis Auditores, meam de tota studiorum vestrorũ ratione sententiam, quã nisi diu in animo inclusam pressissem, & lente, ac pene fastidiose probassem, nũquam eam iudicio vestro, quod semper plurimi feci, committendam duxissem. Equidem spero me eam vobis probasse: Quod si mea me fortasse fefellerit opinio, opto vt meliora, aut vobis, aut iis, quorum consilio vtamini, in mẽtem veniant. Nunc pro mea summa, & perpetua in ordinem vestrum, quo cum tã multos annos coniunctissime vixi, beneuolentia: primũ eos, quorum nõ sunt prorsus libera, & soluta studia, moneo, & hortor: vt eam, quam semel amplexi fuerint stu-

rint, ſtudiorum partem gnauiter, & perſeuerãter colant, & perſequantur, duplicemque ſibi propoſitam laudem habeant: Vnam, quod æquo animo neceſsitati paruerint, Alteram, quod cum quantum potuerint, fuerint conſecuti, certam daturi ſint ſignificationem, ſi plus licitum fuiſſet, voluntatem, & ſtudium non fuiſſe facultati defuturum. Sciant vero non vniuerſam tantum Doctrinarum ſtirpem, ſed ſingulas etiam eius quaſi propagines, iocundiſsimos, & vberrimos fructus ferre, per quos ad opes, dignitatem, vitæ commoda, & vtilitates, nominis etiam diuturnitatem poſsit egregie, & luculenter profici. Vos deinde fortunatiſsimi adoleſcentes, quorum ſtudia ſecundiſsima aura prouehuntur: videte obſecro, ne vnquam, aut naturæ, aut DEORVM muneribus, aut parentum in vos lenitate minus ſapienter vſi, aut ne, cum in conſpectu, non multis tritum gloriæ iter haberetis, ad popularem orbitam, id eſt ad ſocordiam, aut ad leuem quandam, & tam præclaris rei bene gerendæ facultatibus indignam ſtudiorum rationem, præ animi demiſsione, atque imbecillitate diuertiſſe videamini. Et exteros quidem minus cohortatione vlla indigere cenſeo: quos neque itinerum longinquitas, neque rei familiaris impendia à pulcherrimo propoſito deterrere potuerunt:

quorumq: plerosq: cum quibus mihi vsus prope cotidianus,& familiaritas intercedit,incredibili quadam discendi,& optima ratione discendi, cupiditate ardere video. Vos Ciues appello: quibus pro ea beneuolentia, quam mihi semper parentes vestri lectissimi,atq: ornatissimi viri, vultu, oratione, & in me etiam ornando sententiis suis declararunt, primas huius officii partes debeo: Vos inquam non moneo tātum, Sed oro etiam,atq: obtestor,vt cum vestra hæc Ciuitas sedes, & domicilium sit beatissimum, & augustissimum disciplinarum omnium, vos etiam iis studiis fruamini:quibus Peregrini hinc tam multi accumulatissime ornati domos suas abeunt. Et cum eadem patria vestra inter principes Italiæ ciuitates locum habeat: opibus vero, mœnibus, rerum omnium copiis, gentium commerciis, populi amplitudine quamplurimis antecellat:quod in vobis est,ad cœteras,quæ magnæ sūt, & illustres, hanc etiam liberalis institutionis laudem adiungatis. Ad me vero,vnde initio exorsus sum,vt redeā, ac cum vniuersis iam agam: Ego Iuuenes nobilissimi,ac mihi rerum omnium carissimi, quādiu apud vos fuero tantum aberit, vt quidquam sim de studio in vos meo remissurus, vt mea permagni interesse putem: nouum semper aliquod industriæ, & solertiæ genus exquirere: Quod si quis me à vobis

casus

casus abstraxerit, meus tamē semper vobiscum animus habitabit: Et cum in vestrorum erga me officiorum, tum in hodiernæ celebritatis, & frequentiæ vestræ iocundissima recordatione conquiescet.

ROMVLI AMASAEI DE PERENNI ELOQVENTIÆ VSV ORATIO.

SI eloquentia Auditores, qua nullum aut maius, aut præclarius munus est ab immortali DEO generi hominū attributum, ingenii tantum præstantia, & imitandi industria comparari posset: Vestrum scio complures esse, qui acumine suo & frequenti atq: accurata exercitatione freti, monstratis iam à me per tot annos, quot Ciceronis orationib. prælegendis transmisimus, optimis ac pulcherrimis exemplaribus, neq: Doctoris vllam amplius operam, neq: dicendi iam præcepta desyderarent. Sed cum satis constet, nullam esse vel mediocrium rerum facultatem, quæ finem suum consequi posit: nisi ad Naturæ vim, & imitandi curam doctrina & præceptionis certa ratio accesserit: proposita vobis orationis præstantissima forma, ad quam exprimendam & effingendam ingenii vestri neruos intēderetis, reliquum id esse visum est: vt ex abditis

quaſi theſauris, artis quam grauiſsima vobis, quanq; ornatiſsima præcepta depromerem. Ipſa enim per ſe imitatio, niſi artis moderatione quadam guberne-tur, quo celeriore, ac vehementiore ingenii motu fe ratur, huc & illuc vſu rationis experti, tanquam im-patienti frenorum equo rapta, grauiorib. ac turpio-rib. offenſionibus obnoxia eſt. Quo fit vt optabile quidem ſit, & ingenio & arte præſtare: verum ſi id minus contigerit, qui minore plerunque, quam me diocri ingenio ſunt, modo vt certa ratione nitãtur, natura quenq; præſtantiſsima, in iis quæ cuiuſuis, in qua verſentur rei propria ſint, operib. perficiendis & expoliendis longo interuallo ſuperent. At magnæ cuiuſdam eſt operæ, & ſummi laboris, artis quaſi an fractus, & ſalebras conſectari. Eſt nimirum ita com-paratum, vt quæ vtilia ac præclara ſunt, multis ob-ſtructa ſint difficultatibus. Sed hic labor fructus ex-cellentiæ, & pulchritudine compẽſatur. Quid enim eſt homini, cuius eſt oratio maxime proprium mu-nus, ad vitam degendam & ornandam, apta, graui, & ornata oratione accommodatius? Quæ ſi non na-turæ tantum ui, aut imitandi diligentia, ſed doctri-na maxime continetur (quando vt eſt à Platone di ctum, laborem noſtrum Di ſuorum ſibi bonorum precium eſſe voluerunt) non eſt profecto ille nobis labor reformidandus: cui & vitæ ſumma cõmoditas

& laus

& laus (qua nihil bene à natura informato homini est prius secundum virtutem expetendum) certissima proposita est. Atque ego quidem iam per multos annos eos adolescentes, quos ingenio & discendi studio præstare animaduerti, per eos gradus ad eloquentiæ laudem deducendos putaui: vt primum illis, Quos bene dicendi autores haberent, pro iudicii mei facultate proponerem: Deinde vt ad artis etiam penetralia aditum patefacerem: Postremo cum ab exercitatione omnis sit cuiusuis operis perfectio, in hac quoq: parte nunquam operam, curam, laboremque meum desideratum esse, ii.s.norunt, qui mecum coniunctius vixerunt. Quas muneris mei partes, vt olim à prima adolescentia, admirabili quodam & rei ipsius, & vestri ordinis amore incensus, summa voluntate suscepi: ita quoad per humanarum rerum cōditionem licitum fuerit, tam constanter retinebo: vt non aliam existimem vim ab hoc me instituto abstrahere posse, quam quæ mihi sit vitæ finem allatura. Ac quod ad artis tradendæ rationem pertinet, speciem quidem & ante, ac veluti frontem eloquentiæ contēplati sumus: Nunc vero eius omnis recessus, ac vt ita dixerim adyta, ex hoc Ciceronis .II. de oratore libro vobis patefaciēda omni cura, studioq: meo suscipio. Neq: .n. quisquā, qui paulo attentius, quæ de dicēdi ratione scripta sunt, legerit,

legerit, ac didicerit, dubitare posſit: quin hoc & ſequenti libro contineatur: quicquid acute & ſubtiliter, quicquid grauiter & ornate, quicquid ad rei ipſius deniq: naturam, de toto hoc genere maxime ac commodate præcipi poſsit. Multa ſunt & à Græcis & à Latinis, atq: adeo ab ipſo Cicerone de dicendi facultate literis mandata: Sed his. III. exceptis de oratore libris, & aliorum, & ipſius etiam Ciceronis pace dicam, nihil omnino extat, quod non aut perplexam, aut ſpinoſam (vt ita dicam) & tenebricoſam, aut moroſam ac ſuperſtitioſam, aut certe ieiunã, ac pene puerilẽ præceptionẽ præ ſe ferre videatur. Hac vero Ciceronis via nihil planius, clarius, dilucidius, explicatu vberius, nihil mollius, nihil amœnius, grauius, nihil bene, ac liberaliter educto atq: educato ingenio aptius. Hac non modo ad vberes & puros eloquentiæ fontes poſsis contendere: Sed pulcherrima etiam ac feſtiuiſsima vbi rer. magnarum pondere fatigatus requieſcas, et quaſi reſpires, lectionis habeas diuerticula. Hanc mecum Auditores ſi inſtiteritis, & certiſsimos vos bene dicendi fructus, & iocundiſsimam ex multarum optimarumq: rerum varietate voluptatem capturos intelligo. Sed antequam in eam ingrediamur, libet pauca præfari: quæ & hanc, quam toto hoc anno tractaturi ſumus, materiã attingũt, & apud vos animoſq; veſtros

vestros non iniocunda fore confido. Atq: illa quidē à tam multis iactata atq: agitata, & à me ipso aliquādo disputata, nunc consulto missa facio: quæ sit huius rei quā Rhetoricen appellamus, vis & potestas: quæ origo. Ars ne sit, an naturalis quædam facultas: an vsus & exercitatio, & quæ his similia. Quæremus id vnum hodierno die, an ætate hac, qua à veterum moribus & institutis tam longe discessum est, vllus eloquentiæ sit locus relictus. Vos dum propositam commētationem, & quasi scholam perago, me cum silentio auscultate. Complures ego noui & ingenio præstantes, & bonarum artium studio flagrantes Iuuenes, qui minus libenter, minusque alacriter se dicant in eloquētiæ studia incumbere: quod sibi neq: locum, quo ea vtantur relictum, neq: vllum prope huic studio honorem haberi videant. Eos ego mihi ab hac opinione deducendos, & ad rei vnius omnium pulcherrimæ studium, pro virili mea reuocandos censeo. Breui itaq: ac per etiam familiari oratione vt ostendam aggredior: non locum disertis & ad dicendum paratis hominibus, sed eiusmodi homines locis ac temporibus, vitio ne ætatis dicā, an iudiciorum peruersitate? deesse. Orationis omnem facultatem in partes quinque Plato dicendi & intelligendi magister præstantissimus distribuit: Atq: earum vnam ciuilium hominum, oratorum

alteram

alteram, Tertiam vulgi, quartam Dialecticorum, postremam artificum esse propriam voluit. Primam eos vsurpare, qui de republica deliberantes, aut in senatu, aut in concione suaderēt quid, aut dissuaderent: alteram qui in foro & iudiciis causas agentes, vel accusarent, vel defenderent: Tertiam iis conuenire, qui vel domi, vel foris inter se, aut de priuatis, aut publicis, rusticis, aut vrbanis, domesticis deniq: aut forensib. negociis sermones haberent: Iam vero quartam eorum esse, qui in scholis & gymnasiis, de quauis aut Philosophiæ parte, aut disciplinarū quouis genere disputarent: Extremam omnibus, qui de sua quiq: arte, atque opere agerent, communem esse. Harum quinq: partium quibus omnis dicendi facultas continetur, cuiusnam potissimum vsu nostræ ætatis hominibus sit interdictum, videamus. Ac earum quidem duæ, sermocinatrix scilicet, & illiberalium artium interpres, cum natura duntaxat vsuq: constent, dubitari certe nihil potest, quin & æque nunc, atque olim vigeant, & quandiu hominum artiumq: genus steterit, præsto sint ad necessarios humanæ vitæ, victusque vsus futuræ. Quæ quanquam magni refert, aspersæ ne quodam sint humanitatis sale, & vrbanitatis lepore conditæ, an vero ab omni cultu, atque elegantia longissime absint, cum & emendate loquentem, & commode de artificio

suo

ſuo agentem laus ſua conſequatur: quod minimum tamen curæ operæq; requirunt, ab arte remotas naturali cuidam facultati, ac populari loquendi conſuetudini ſubiiciamus. Sed ſuperiorum trium partium, cum earum ſingulæ accuratam, factam & elaboratam orationem expoſcant: quæ nam obſecro in noſtræ ætatis vſum non ſæpiſsime accerſitur? Quæ non & magno ciuitatib. præſidio eſt? & certiſsimus ad opes, honores, dignitatem bene dicendi facultate inſtructis atque ornatis hominib. gradus? Floruerunt Athenis, & in reliqua olim Græcia, ac deinde Romæ in ſententiis dicendis, graues & ornati uiri, & magni ac locupletes publici conſilii autores. Sublatus ne hic eſt ætate noſtra ingenii, & artis declarandæ locus? Atqui deliberandi certe conſuetudo & manet adhuc, & maneat neceſſe eſt: vſque dum homines rectius ac verius eſſe ſenſerint, mente & cōſilio, quæ inciderint negocia gubernari: quam caſu & ſortis incertis fluctib. agitari. Quæ nunc in Italia Reip. formam ciuitas retinet, in qua non patrum conſcriptorum autoritas uigeat? Romæ præſidente Pont. Max. purpurati patres in curiam ueniūt. Venetiis de maximis reb. Senatus cōſulitur? In hac ipſa etiam ciuitate, quæ iam cum paucis ſplendore & opib. floret, optimatum conſilium ſummæ rerum præeſt. In Regnis & prouinciis ſua conſilia,

ſui conuentus celebrantur.In his cum de cultu Deorum immortalium, de legib. aut ferendis aut abrogandis,de concordia ordinum,de pace,de bello,de uectigalib.de publicis,ſacris aut profanis operib.decernitur,vtrùm tandem in capiendis conſiliis,diſerti ne & facundi hominis ſententiam, an vero infantis & ieiuni plus valere exiſtimamus? Ego me hercule in his omnib.quorum ante mentionem feci cõuentib. plurimum aptiſsimo cuiq: ad dicendum tribui intelligo. Quid vero in caſtris & exercitu,nonne ſæpe audimus, & maximas ſeditiones compreſſas, & militum animos,Ducum & Imperatorum oratione,aut ab ignauia ad virtutem, aut à furore & temeritate ad animi moderationẽ reuocatos? Quid in concionib.nonne prudentis & grauis hominis oratione multitudinem,aut ad deditionẽ pro patriæ ſalute faciendam, aut ad decus ac dignitatem retinendam,ad pericula fortiter adeunda,ac perniciem propulſandam,commotam fuiſſe maxime recentibus magnarum ciuitatum exemplis cognouimus? Non eſt igitur ætate noſtra eloquentiæ, neque ad curiam & magnarum rerum conſultationes, neque ad populares & caſtrenſes actiones aditus obſtructus.Sed è foro inquiunt,obſoleta vetere iudiciorũ conſuetudine, cõtentioſum illud & pugnax orationis genus plane eiectum eſt: At mihi quidem non

locus

locus ad agendum hominib. Sed homines loco defuisse videntur. Quid enim immutatũ ita est, ut impediat, quominus prisco illo more causæ agitari possint? fora certe sunt, & iudiciorum cancelli: subsellia, tribunalia: Rei fiunt: Defenduntur: De criminib. quæstiones habentur: Testimonia dicuntur: Tabulæ citantur: Leges proferuntur: Sunt qui aut ad Iudicem, aut ad arbitrum, petendi, aut inficiandi causa, veniant. Hominum scilicet ingenia se à laboriosa illa quidem omnium honestißima exercitatione remouerunt, ac studiorum molliorem viam secuta, Pragmaticis & forensib. rabulis, quæstui ac potius prædæ, ciuilia certamina reliquerunt. E quorum tamen si qui numero, linguæ volubilitate, & aut naturali, aut industria quæsita verborum copia præstẽt, eos videmus in omnib. paßim vrbib. magna clientum caterua stipatos, huc illuc volitare, & breui præclaram sibi & luculentam pecuniam cogere. Quanquam & Venetiis hac ipsa ætate uetus illa iudiciorum forma celebratur: vbi in suas partes descriptæ, vel publicæ, uel priuatæ causæ, à disertis & exercitatis in dicendo patronis, magna cura, magno adhibito ad meditandum studio, magno apparatu & contentione perorantur. Atque vt à foro & iudiciis exclusa non est eloquentia, sic per amplißimum laudationum campum, libera & frequens spaciatur:

Neque modo dum eos ornat, qui cum laude uixerunt: verumetiã cũ in Dei diuorũq: templis, ac frequenter in ipſo Pontificum conſeſſu, magno hominum ſilentio, religionem, pietatem, fidem, temperantiam, iuſtitiam, concordiam, ſummis laudib. effert: aut Dei ſummi in hominum genus, & Magnæ matris multis modis teſtata beneficia, aut locupletiſsimorum Chriſtianæ legis teſtium ærumnas prædicat: ſæpe etiam hominum fraudes, atq: omne improbitatis genus inſectatur. Age uero in diſputando quem habeat locum eloquentia, videamus. Atqui nulla iam eſt orationis humanæ pars: in qua ſe illa magis exerceat ac dominetur. Philoſophorum & Iuriſconſultorum Scholæ, iſta ſubſellia, ac ipſi me dius fidius hi parietes, diſputantium de diſciplinis cuiuſque ac ſtudiis ſuis vocib. perſonant. Omnes Itali ci, omnes prouinciales conuentus literarum, lene hoc & quietum vſurpant, & celebrant orationis genus. At enim multo maxima pars, aut qua lingua, aut qua dicendi ratione his muneribus, quæ ſunt ante à me enumerata, fungantur, parui referre exiſtimant: Nihil id ad ſuſceptam diſputationem: ſatis habeo, ſi doceo hoc tempore, ſtudium ac diligentiam hominum, ad eloquentiam ornandam & honeſtandã, non locum, aut occaſionem deſiderari poſſe. Nam per Deos immortales, cur ſi barbare & inepte loquentes,

quentes, aut arte carentem & fortuitam orationem afferentes, æquis animis atq; aurib. audiuntur, composita & veterem loquendi formam redolenti, addo ad hominum aures inuitandas & demulcendas accomodata vtentes, repudiantur & exploduntur? Quod si latinæ linguæ vsum maxima ex parte exoleuisse dicant, ac patrio iam quenq; sermone causas agere, concionari, sententiam dicere, Inueteratam ego loquendi consuetudinem nihil immuto: Quos sibi à multis iam retro annis fines, vulgaris regionis cuiusque lingua pro iure quodā suo arrogauit, tueatúr. Est linguarum quidem alia, alia grauior, concinnior, venustior, suauior. Prudentia, iudicium, delectus, collocatio, pertractandorum animorum peritia, quæ legitimæ sunt eloquentiæ partes, nō video, qui cuilibet linguæ communes esse non possint. Sed quoniam eloquentia non iis tantum finibus, quos Plato orationis constituit, circunscripta est, verum è scribendi sibi industria, si non maiorem & illustriorem, at certe stabiliorem multo & ad memoriam diuturniorem laudem solita est comparare: Quis non intelligit, eodem eam omnino iure esse, atque olim fuit? Atque haud scio, an amplior multo nunc ad scribendum campus, quam ante M. ferme annos doctis se aperiat, & ostendat: Quando abolitis tot, ac tam præclaris literarum monimentis,

nimentis, quanta illum tandem maneat & præsentium & posterorum commendatio, qui tot bene viuendi præcepta, tot rerum gerendarum documenta, tot intelligendi ac dicendi adiumenta, quæ à priscis, literis mandata temporum iniquitas è medio sustulit, & aboleuit, suo nobis ingenio, labore ac sedulitate instaurata, ac restituta curarit. Nam quid ego de rerum gestarum expositione dicam? Est ea quidem & in dictionis contextu ornando atq: expoliendo, & in illustrium virorum cōcionibus ac sententiis adumbrandis & exprimēdis, cum omni oratorio opere coniunctissima. Hoc scribendi genus qui consectabitur, vnde sibi materiam petet: cum ab æquali ætatis nostræ memoria discesserit? Acerba illa quidem fuit & calamitosa: & cui similem liberis posterisq: nostris à Dis immortalibus deprecari debemus: Sed vna omnium maxime, dissensionum & funestissimorum bellorū, ac maxime admirabilium euētorum plenissima. Hæc incognitas ante gentes, & orbis terræ omnibus ante seculis absconditas partes, solerti Lusitaniæ atq: Hispaniæ nauigatione repertas, ad veterem mūdi descriptionem adiecit. Hæc ferocem & opulentum Syriæ & Aegypti tyrannum vita ac regno spoliauit. Hæc alterum successib. & victoria elatum, opumq: suarum infinita prope magnitudine insolentem tyrannum,

ad

ad Pannoniam & Rhodum, cum magno Christiani nominis dedecore ac detrimento debellandam, & Germaniam attentandam immisit. Hæc magnos Europæ regum exercitus sæpius repetitis cladib. deleuit: Reges ipsos è summo fœlicitatis gradu deturbatos, in dubiū de fama, fortunis, ac libertate vocauit. Hæc postremo sterilitatis, hæc pestilentiæ, hæc eluuionis nobis maxime ad memoriam insignia exempla reliquit. In conspectu vobis Auditores ea spacia posita sunt: per quæ nostri temporis decurrere possit eloquentia: vt intelligatis, nihil esse quamobrem aut locum sibi quis dicendi ereptum queratur: aut stylo literisque suis materiam desyderet. Nam aut alias eloquentiæ quasi regiones, quam quas ante commemorauimus, olim fuisse demonstrandum: aut si in foro semper, curia, concionib. scholis, literarum monimentis, grauiter, copiose & ornate dicendi, ac scribendi facultas habitauit, ac dominata est: nòn video, qui semper maiorib. nostris patuit, summæ gloriæ campus, quæ eum nobis his temporib. causa intercluserit. Sed dicent fortasse hanc certi homines studiorum viam, ad rem familiarem augendam minime idoneam esse. Primum ego, cui quæ vitæ corporisq: tuendi causa, natura adiumenta sibi à Fortuna deposcit, præsto sunt, nihil minus ei, quam pecuniam expetendam censeo. Quid.n. sordidius,

aut

aut quid bene ac præclare à natura informato animo indignius, quam quæstus, ac veluti cuiusdam studiorum mercedis, in honestissimis artib. ac ingenuis disciplinis spem positam habere? Deinde si quantum quæq; ars ac liberalis facultas lucri apportet, æstimandum est: Næ si illi ad paucos eos homines, qui orationis laude ætate nostra floruerunt, animum retulerint: intelligent hac vna eos maxime re, & luculentum sibi ocium, & vitæ optatissima commoda meruisse. Nam quod eloquentiæ honorem haberi negant: Ego quid excogitari, aut fingi magnificentius atq; honorificẽtius possit: quam vnum aliquem in multis millib. attente & cum silentio etiam atq; admiratione audiri, dum omnes honoris rationes mente ac cogitatione colligo, mehercule non reperio. Verius illud dixerint: paucos, aut etiam neminem his temporibus reperiri: qui ad quotam priscæ illius in dicendo præstantiæ partem, possit aspirare: quam eos qui eloquentes habiti sint: præmiis aut honorib. ab vllis vnquam, quamlibet magnæ & honestæ artis peritis, ac iisdem infantib. superatos iacuisse. Possum ego nominare, & vestrum fortasse aliquot recordari: qui superiorib. hisce proximis annis, vna & altera oratiõe, aut dialogo accurate & polite conscripto, in omnes gẽtes late nominis sui gloriam propagarunt. Qui etiam in maximis Italiæ ci-

uitatibus voce ſolum, & motu ad antiquæ actionis imitationem appoſito, cum reliqua in illis multo eſſent minora quam mediocria, et ſummorũ ſibi Principum gratiam meruerunt, & ad maximam dignitatem, maxime compendiariam viam munierunt. Quod ſi dignitatis gradum aliquem, ante obtinuit bene dicendi vis & facultas, ea iam tela texitur: ea de ſacro publicoq: iure certamina, ac diſceptationes comparantur: vt nihil dubitem, ei & honorem, & gratiam ſummam expoſitam fore: qui aut in legationibus obeundis, aut in maximis cauſis agendis, ſe quam inſtructiſsimum àd dicendum, quamq: paratiſsimum oſtenderit. Quare non eſt, Auditores, quod veſtrum cuiuſquam induſtria elangueſcat: aut animus ab vno omnium pulcherrimo, & grauiſsimo dicendi ſtudio, atque exercitatione refugiat. Quin pro meo in vos officio, ac fide magnopere uos hortor: vt orationis facultatem, qua ratione excepta (quanquam & ipſa vt verbo, ita re cum ratione tam coniuncta eſt, vt neutra ab altera ſeparari poſſe videatur) nihil in humanis reb. eſt præſtabilius, cum optima ſpe, atque egregio animo ac voluntate, ſedulo ac ſolerter colatis: ac omnium nobiliſsimam, & à tam multis, cum Græcis, tum latinis, tanto ſtudio & contentione expetitam eloquentiæ palmam, pro ſe quiſque veſtrum, ſibi ſtudeat aſciſcere. Tantum

CC enim

enim abeſſe arbitror vt verendum ſit, ad veſtræ in hoc genere gloriæ quaſi ſemina iacienda, locus ne ſit defuturus, vt adeſſe iam tempus vobis pro-mittere ac ſpondere non dubitem: quo & tutiſsima præſidia, & maxima atque honeſtiſsima ab eloquentia in primis emolumenta ſint expetenda. DIXI.

ROMVLI AMASAEI PRO SE IPSO BONONIÆ HABITA ORATIO.

PRÆCLARE, Auditores, cum noſtris hiſce ſcholarum exercitationibus iam toto triennio actum eſt: Quo & ſe nobis qualia iam per multos annos optaramus, initia dederunt: Et temporum ſumma ac perpetua tranquillitas noſtris progreſsibus obſecundauit: Neque enim vt quotannis fere ante, in magnis inteſtinorum bellorum incendiis, & multis ac fœdis Italiæ calamitatibus, vel impendentium malorum metus, hæc ſolennia exordia retardauit: vel iam longius prouectos ſubitæ trepidationes, ac turbulentiſsimarum tempeſtatum violentiſſimi impetus, ab inſtituto curſu auerterunt: Atque vt hæc quidem ſecuritas toti huic tempori communis fuerit, cuius initium extitit ſalutaris ille, & fauſtus dies, quo in palatina huius ipſius vrbis cella, inter

ter augustissima Dei diuorũq: puluinaria, à summis & sacrosanctis principibus tanquã à capite accersita pax, me interprete, & quasi caduceatore, per omnia Christianæ Reip. membra dimanauit: Eius tamen lætiores multo atque vberiores fructus, hic ipse annus suo sibi iure videtur quodam modo vindicare. Nam cum adhuc ita fuerint bella intermissa, vt belli tamen apparatus & veluti quidam rerum nouarum fomites, in ipsius Italiæ visceribus hærerent: deportatis iam omnib. in vltimas terras, ad pium iustum omnib. seculis optatum bellum, lectissimis & florentissimis Christiani imperii legionib. ea huic anno peculiaris felicitas obtigit: vt quod ab hinc. VIII. fere & . XXX. retro annum non contigit, omni exercitu alió dimisso, atque euocato, ne suspitio quidem ulla, aut significatio belli in Italia relinqueretur. Quare si funestissimis temporib. cum hos agrorum populationes, vrbium direptiones, vicorum exustiones, illos fames, alios pestilentiæ metus, atque hæc plerosque omnes omnia exercerent, anxiæ nos & acerbæ ægritudines, in his studiorum initiis aut mœrore oppressos, aut maximorum malorum metu afflictos tenuerunt: atq: omnem docendi, discendi ue ardorem, atque alacritatem, quæ animi securitate in primis excitatur, compresserunt, & restinxerunt: Nunc in tãta, ac tam optata Italiæ tranquillitate, bel

lorum non solũ terroribus sublatis, verum etiã ipsis vestigiis abolitis, quid iã officit, quo minus studiorum nostrorũ cursus, in præsentia, secũdissima aspirãte fortunæ aura instaurẽtur? & cõstantius quã ante hac multo retẽti, ad optatos exitus prouehantur? Atq: eo maxime, quod hãc pacẽ nõ vni Italiæ, sed cũ ctis Europæ gẽtib. & nationib. quæ solitæ sunt suos ad nos liberos, ad ingenuas liberalesq: disciplinas colẽdas mittere, immortalis DEVS pro sua in nos charitate & indulgentia, cõuersis in Barbarũ, & impiũ hostẽ armis, impertitus est. Quæret hic tamen fortasse aliquis: Qui possimus in præsentia molestiis & periculorum metu vacare: cum hoc ipso tempore bellũ maximũ terra mariq:, illinc in superiore Pannonia, hinc in ipsis fere superi, inferiq: maris faucibus, contra illum ipsum, quem paulo ante significaui, immanissimum, & omnibus copiis, ac bellico omni apparatu instructissimum Tyrannum geratur? Ego vero tantum abesse puto, vt hac de causa quidquam sit molestiæ suscipiendum: Vt gratulari etiam huic ætatis nostræ parti magnopere debeamus: quod in ea potissimum diuturni, ac toties frustra ab vniuersa Rep. nuncupati voti, eadẽ nos DEI diuorũq: benignitas compotes fecerit. Quid enim frequẽtius optauimus? Quid sacris, & precationibus sæpius expetiuimus? Quam vt Christianæ reip. pace parta, eos ipsos

ipsos gladios, quos tam multos iam annos in Ciues intentassemus, iam in feros & truculẽtos nominis, legumq: nostrarum hostes, distringeremus? Cõuenit tandem Resp. positæ sunt optima fide inimicitiæ: cõcursum est ex omnibus Europæ partibus, ad hãc omnium præclarissimam, & gloriosiss. Turcici belli expeditionem. Conuicti certe votorum sumus. Quis iam igitur locus solicitudini, & angorib. relictus? Nisi forte, aut optasse nos, aut quod optauimus consecutos esse pœniteat. Quid? quod nunquã certior victoriæ spes vllis fuit exercitibus, quã huic nostro proposita. Res enim est florentissimis legionibus, & auxiliis ex Italico, & omnium Christianorũ delectu, cum seruitiis, & vltimæ Europæ ergastulis, aut cum ipsa Asiæ colluuie: vnde Græcis ac Romanis, Christianis etiam ducibus, nullo non tempore triumphorum seges, & materia extitit. Pugnat cum impietate, & superstitione, religio: causa optima, atq: adeo ipsum ius cum iniuria: cum fraude & scelere consilium: cum temeritate prudẽtia: obseruantissima ordinis & disciplinæ acies, cum dissipato agmine: Atq: ex literis quidem, ac nostrorum nunciis cotidie audimus: quoties sit, aut naualibus, aut terrestribus copiis, minutis duntaxat præliis dimicatum, toties Trophæorum veluti proludiis, ad certissimã pulcherrimi triumphi spem, fuisse nostrorũ animos

erectos

erectos: illorum impetus fractos ac debilitatos. Et haud scio, an dum hæc ego vobiscũ ago, nostri omnium ciues, vestri vero multorum fratres, aut propinqui, summa virtute & pietate viri illum iam castris exutum, & intra fines suos cum fusi exercitus infelicissimis reliquiis, amissis signis, & omni regia Gaza fugientem persequantur. Quam sane spem, neq: inanem, neq: irritam fore, cum Vatum prædictiones, & arcana diuinæ legis oracula, tum vero vniuersæ multitudinis omina, & communis quædam omnium ordinum, & penè inusitata in actionibus & operib. suscipiendis, & conficiendis alacritas, nobis haud dubie pollicentur: Iam vero ne remotiora commemorem, quã perspicua ex eo & illustria optimæ spei signa extiterũt? Quod vrbis huiusce præf. vir grauiss. & sapientiss. ampliss. & ornatiss. patrum cõscriptorum ordo, hoc ipso anno præcipue, magno quodam animi ardore, in ea opera, quæ ad vestra studia ornanda & incitanda pertinẽt, incubuerũt: Quorũ certe in nos studiis atq: Dei ac diuorũ in primis immortalis benignitati, à qua & præsentis tranquillitas, & posteri temporis spes optima affulsit, si gratias habitas volumus: decet certe nos nõ tantum paratis & nouatis (vt ita dixerim) animis, ad hæc studiorum initia accedere: sed ipsa in muneribus nostris obeundis perpetuitate, & assiduitate,

quam

quam ſecundiſsimam nacti ſumus, temporum conditionem proſequi:Illudq: maiorem in modũ contendendum: Vt cum ciues noſtri armis & ſanguine etiam ſuo,maxima nobis imperia cõfirmata,& propagata ſtudeant: Nos domeſticis laudibus, nos pacis ociiſq: artibus, quibus ab ineunte ætate dediti fuimus,grauiter & conſtanter colendis,bellicam illorum gloriam cumulemus. Ac video Auditores, atq: ex hodierna cætuum veſtrorum celebritate facile perſpicio: ab ipſa temporum tranquillitate mirificam quandam vos alacritatem duxiſſe: Vt mihi iam perſuadeam: ſi poſtrema primis, media vtriſq: (quod futurum omnino confido) reſponderint:noſtra omnium ſtudia,ad multo meliorem & vberiorem, quam vnquam ante hac frugem peruentura. Verum enim vero in hac tanta,& tam communi animi ad inſtituta ſtudia contentione, ſatis intelligo: nobilium aliquot, & optimarum artium amore flagrantiſsimorum iuuenum ſtudia,ob eam vnam cauſam nõ parum refrixiſſe. Quod cum opera ductuq: meo,ſe magnos in literis proceſſus aliquando facturos ſperaſſent:Iam cum.S.C.duplici me munere ornatum,& vt ipſi interpretantur,oneratum videant, & altero cum reip.adminiſtratione,quam cum otio & literis coniunctiore,ope ſe mea deſtitutos,ac veluti fraudatos putant: Hos ego,cum pro eorum indole,

dole, magni intereſſe putem: aut languentes cõmoueri, aut currentes incitari: dabitis mihi humaniſsimi Auditores, hanc (opinor) veniam: vt de meo inſtituto, ac conſilio pauca dicam: Quo & illi nihil minus, mea quidẽ cauſa, ſuum ſibi ſtudiorũ curſum retinendum ſtatuant: Et ipſe me certo cõſilio oſtendã, aliquã ætatis meæ partẽ ciuilibus actionibus impertiẽdam putaſſe: Et vos omnes, è quorũ ego gratia, & beneuolentia ſemper uitam, ſpiritũq: duxi: quam voluntatem, quam ſtudii & officii cõſtantiam vobis præſtiturus ſim (quod multo magis in dies re ipſa, & meritis me probaturum, Dis & veſtra benignitate fretus, confido) ex hoc ſermone, aut verius ſponſione mea cognoſcatis. Ego, Auditores, à quo primum tempore per ætatem licitum eſt, ſatis certum viuendi conſilium capere: ad eas vitæ degẽdæ rationes, intentum & directum animum habui: per quas ſi non præſtantiſsime, at ſaltem ad naturam humanam, ad virtutem, ad optimorum & probatiſs. quorumq: hominum exemplum, quam accomodatiſsime me perpetuo vixiſſe, æquis & benignis rerũ æſtimatoribus probare poſſem. Quare cum & ratio ipſa, & doctorum ac ſapientium hominum oratio atque auctoritas, facile in eam me ſententiam adducerent: vt omnia animalia, & quæ mouerentur tantum, & quæ ſenſum etiam haberent, & quæ po-

ſtremo,& motu,& ſenſu cierentur: Et amplius ſpiri tu,atque animo regerentur: certos putarem quoſdam habere à natura propoſitos fines: Quos ſi con ſequerentur,nihil ad ſummam perfectionem deſide rarent: id uero quoniam aut fere nunquam, aut cer te non frequenter contingeret: quo quæq: ad eos ipſos fines propius accederent, tanto ab inchoatio ne,& ſui informatione, ad abſolutionem & expolitionem longiores progreſſus habere: Ac cum eadē parens optima,& rerum opifex ſolertiſsima natura, aliis animantium generibus,alia ſumma & extrema, atque alios vt ante dixi fines,pro ſuo cuiq: captu,ad quos ipſa met duce contenderent,propoſuiſſet:Homini, quo nullum aliud animal præſtabilius,aut excellentius terra ſuſtineri, ac cœlo incingi voluit, & felicitatem vitæ quaſi arcem conſtituiſſe: & duos per quos ad eam aſcendere liceret,gradus præſtruxiſſe: cognoſcendi alterum, alterum vero agendi, atque ad eos cum laude obtinendos, maxime idoneas in mente,animoque noſtro facultates ingeneraſſe: Quo & cum ipſius opera,ex effectis primum, ac deinde etiam ex cauſis cognouiſſemus: Et animi motus in rationis officio continuiſſemus, quæq; ad hominum ſocietatem tuendam, ac iuuandam perti nerent,cogitando,dicendo, & efficiendo perſecuti eſſemus: à brutis mutiſque animantibus magnis,&

DD præ-

præclaris,ac maxime peculiaribus bonis ſegregati, DEO ipſi, e cuius mente hauſtam & delibatam rationem habemus,quam ſimillimi redderemur. His beatæ vitæ quaſi fundamentis iactis, & conſtitutis, eorum ſemper vitam imperfectam, ac veluti mancam duxi: Qui aut ad ſola ſe cognoſcendi ſtudia tradidiſſent:aut illis omiſsis, ad res gerendas animũ applicaſſent: Quod.ſ. illi perinde quaſi ſibi vnis, atque vni animo,non corpori, aut eiuſdem naturæ conſortib.animantib.nati eſſent: ſemetipſos, atque adeo ſolum animum diligere viderentur: & humanorum operum immunes, tanquam fuci (vt Poeta inquit) ad aliena pabula ſederent: Nempe qui quaſi in vitæ nauem,à natura impoſiti,neq: in ſecundis, neque in aduerſis tempeſtatibus, aut clauum tenerent,aut remos pellerent: Hi vero omnis humanitatis,ac liberalis inſtitutionis rudes,& expertes, ad ea negocia aggrederentur: quorum neque vim,neque naturam,aut exploratam,aut ſaltem cognitam haberent: & vel in perpetuo errore, tanquam oculis capti verſarentur: vel temere ſe in ciuilium rerum fluctus abiicientes,& ſibi turpia, & iis qui ſe illis commiſiſſent, pernicioſa naufragia concitarent. Hac itaque adductus opinione,pro virili mea,ad vtrunque bene & præclarè inſtitutæ vitæ gradum aſpiraui:vt ſi minus, aut ingenii, aut fortunæ etiam meæ impe-

impedimentis retardatus, quo contenderem, peruenire potuissem: in ipsa saltem conatus mei recordatione conquiescerem. Ac primum bonam, & magnam ætatis meæ partem, ita in cognitionis studiis consumpsi: vt nullum ingenuarum artium, ac liberalium disciplinarum genus mihi attingendum, ac degustandum non putarem: Atque interea tamen ea ipsa quæ acri studio, assidua lectione, exercitatione plurima essem consecutus: non vt qui suo duntaxat commodo & voluptate omnia metiuntur: animo compressa tenui: sed ad communem vestri istius multo ornatissimi ordinis vtilitatem, ex hoc loco, cotidie declamitans in medium protuli: neque vnquam destiti: quicquid id esset, in quo me quantũ profecissem, non pœniteret: cum omnib. qui sibi in discendo operam meam expetissent, fidelissime atq; amantissime communicare. Et ab ineunte quidem adolescentia, per viginti iam annos, me ita intra hoc vitæ (vt ita dixerim) curriculum continui, vt non modo aliud nihil, quam quod cum literarum studiis coniunctum esset, egerim: Sed ab alio etiam quouis ocii & negocii genere abhorruerim. Postremo ipsa quasi aurem vellit instituti mei ratio, ac (vt vetus est Græcorum verbum) satis esse quercus monuit: iam aduenisse suam ad ciuilia munia capessenda maturitatem: nisi forte, si quod reliquum esset

huius vitæ, totum esset in discendi studio exhaustum, id ex altera quapiam vita sumptum, ciuilibus me negotiis atq: actionibus repositurum sperarem. Hic ego, cum assuefactus ipsa rerum omnium multo iocundissima musarum, & vestra etiam iuuenes cõsuetudine animus, vt se ab illa, vel latum vnguem abduci sineret, ægre persuaderi posset: ac à suo vetere pene consilio desciscerer: diu sum cunctatus, priusquam me vllo noui muneris genere paterer implicari: multas & honestiss. peregrinandi occasiones repudiaui: multas reieci magnorũ & illustrium hominum minime contemnendas conditiones. Nuper vero cum ita accidisset, vt huius ciuitatis Senatus, quem honoris & amplitudinis causa nomino: non nullam mihi significationem daret, meam sibi operam dúplici ex vsu esse posse: Iam cum ad rectam, ac maxime naturalem viuendi normam officii etiam ratio accederet: Neque possem ingrati, & immemoris animi crimen effugere: si non modo non sponte me in officium, ac potestatem de me optime quouis tempore meriti ordinis traderem: sed vltro etiam inuitantis fidei, & egregiæ cuidam in me ornando voluntati non obtemperassem: Fateor Auditores, vt satis naturæ instituto, satis consiliorum meorum rationibus, satis humanitati atque officio facerem: Alterum quem iam in Rep. senatus benefi-

beneficio honeſtiſsimũ, & dignitatis pleniſsimũ locum teneo: nõ tã petiui (quanq: profecto debui gratiæ referendæ occaſionem nõ prætermittere) quam delatum non recuſaui: Neq: tam hoc, quo nunc deuinctus ſum publici muneris ſacramento, vt auctorarer poſtulaui: quam perhonorifice iam auctoratum me nihil pœnituit. Quod ſi aut ex veteri, aut recenti memoria, vel nemo, vel pauci à literis & doctrinæ ſtudiis, paululum ad ciuilis vitæ occupationes deflexiſſent: Quoniam nulla cuiuſquam facti tam honeſta ratio eſt: Quæ ex ſe ipſa ſi exemplo careat, ſe ſatis probare, Iuſq: ſuum obtinere poſsit: Vererer profecto, ne in vitæ genere deligendo, opinionis errore à recta via aberraſſem: ac ne nullo purgationis genere, factum hoc meum poſſem à calumnia vindicare: Nunc vero cum ſatis conſtet, ſummos homines, ac maximos cum intelligẽdi, tũ dicendi, tum vero bene viuẽdi magiſtros & auctores, à ſcholis & ocio, non vnquã digreſſos ad res gerendas ſe accõmodaſſe: Nõ debeo profecto videri, in officii (vt ita dicã) linea claudicaſſe: ſi quorũ ingenii magnitudinẽ & doctrinæ eccellentiã omnes admirantur: eorũ ego quãtũ facultates meæ tulerũt, & præcepta ſeruarim: & facta fuerim æmulatus. Pythagoras in naturæ obſcuritate indagãda, atq: inueſtigãda, plus multo quã alius quiuis è doctiſs. numero operæ dicitur poſuiſ-

ſe, &

ſe,& tamẽ non ſuã tantũ patriã,ſed multas etiã Italiæ ciuitates legibus inſtituit: Ideq; cum ſecuti nobiles aliquot eius diſcipuli, vt Architas Tarentinus, Philolaus, Arceſus, & Lyſis fecerunt. Plato cum ciues ſuos praua corruptos conſuetudine, & vt ipſe dicere ſolebat, populum deſipientem ſenectute offendiſſet: Syracuſanis, ad quos ter Athenis, & Academia relicta, à Dione, & Dionyſio inuitatus venit: ac deinde Arcadib. Thebanis, Cretenſibus leges dedit. Xenophon cum Proxeno Cyri fidem ſecutus, magna Bellicæ virtutis primo miles, ac deinde Imperator documenta dedit. Ariſtoteles ipſe Alexandro non præceptor tantum, ſed ſuſceptæ in Darium expeditionis comes & conſiliarius fuit. Theophraſtus Ereſſum patriam ſuam Tyrannorum dominatu liberauit. Ac ne Parmenidem, Meliſſum, Empedoclem enumerẽ: Quorum magna vel in ſuas, vel in alienas patrias merita extiterunt: Vt Polybium, & Panætium præterea: Qui cum Africano tam familiariter vixerunt, vt magnus ex eorum conſilio, ad vnius omnium maximi Imperatoris gloriam cumulus acceſſerit: Nemo plane ingenii, & doctrinæ laude excelluit: quin quod eſſet diſcendo, atq; inueſtigando conſecutus, ad publicam ſibi & communem vtilitatem conferendum putarit. Nam quid ego de Cicerone & Varrone latinæ eruditionis, & linguæ luminibus dicam? Cum

non

non à foro & curia, sed à Græcorum gymnasiis exẽpla petere propositum fuerit: cum præsertim perspicuum sit, in Romanis hominibus vix vllam à ciuilibus & forensib. munerib. cessationem culpa vacare potuisse. Verum quid ego vetera consector: cum recentia, & quasi in conspectu posita exempla plus fidei acquirant, & animaduertantur attentius? Quis Iouiano Pontano, ingenio acutior? carminis & solutæ simul orationis copia præstantior? At is nõ maiorem Academiæ, quam Neapolitano regno operam nauauit. Quis Philippo Beroaldo omni antiquitatis memoria abundantior, & in veterum monimentis ex hoc ipso loco explicandis, aut aptior, aut facũdior? Et is quidem inter huius Reip. secretiores scribas multos annos sedit, Et postremo hãc ipsam qua nunc ego fungor publici Tabularii, & actorum præfecturam multa cum dignitate sustinuit. Quanta vero indole, quanta fuit apud istum ordinem vestrum gratia, Beroaldi affinis, & discipulus Camillus Palæotus? Et is Palatinum munus coluit, & hoc scholasticum, quam diu per temporum conditionem licuit, constantissime retinuit. Nam de Philippo Phasianino homine bene mehercule literato nihil dico: quod ei ad bina munia suscipienda vt animus non defuerit, valetudo certe, & corporis firmitas eius voluntati minus obtemperauit. Iam vero in Florentina

tina Rep. Nonne Marcellus Virgilius in omni Græcorum,& latinorum lectione diligentiſsime verſatus, cum hoc ſcholarum munere, neq: ocioſiſsimæ, neq:(vt leuiſsime dicã, quietiſsimæ Reip. negocia, ſuſcepto & ipſe ſcribarum magiſterio coniunxit? Mitto Scalam, Antiquarium, Capellam: quorum fuit in literis minime obſcurum nomen: Et eorum quidem vnus Florentinorũ, Alter Mediolani Reguli, Tertius Veneti Senatus publicis monimentis præfuit. Atque vt iam eos nominem, quibus nos ætate ſuppares ſumus: Conſenuit opinor in otio ac literis, vir infinitæ prope lectionis, & omnis antiquitatis, quæ Græcis, ac latinis libris continetur, copia inſtructiſs. & ornatiſs. Gulielmus Budæus, & non maturæ ad magni & præpotentis Regis negocia animum applicauit. Quid, qui inuicto prope ſtilo res geſtas noſtrorum temporum perſequitur, Paulus Iouius? Quid, qui multiplici eruditione, & latini carminis aurea vena cum ipſa certat antiquitate, Io. Franciſcus Moltius? Quid Vbaldinus? Quid Grana Signinus pont? Quid Curſius? Quid Petraſancta, homines optimis artibus præditi, & dicendi ſcribendique laude inſignes? An non omnes Principum familiaritates, & fortunam ſecuti, non magis in cognoſcendo, quam in agendo, iam magnam ætatis partẽ conſumpſerunt? Sed mihi omnium inſtar eſſe poſ-

ſunt

ſunt, doctiſsimi homines, & multa vitæ elegantia atque ingenii ſplendore perpoliti, addo etiam fortunæ munerib. cumulatiſsime ornati, Iacobus Sadoletus P. Bembus, & ciuis noſter, qui cum coniunctiſsime viuimus, Gaſpar Argillenſis: Hi quidem, vt perpetuo cum muſis rationem habuerint: A' rerum tamen maximarum cura, non niſi iam grandes natu ſe abduxerunt: Atq: in ſeceſſum, & ocii ac tranquillitatis portum receperunt. Quod ſi quis fortaſſe exiſtimat priſcos homines, atq: hos etiam recentiores, Quorum exempla collegi: maiores multo, & fuiſſe, & eſſe, quam vt eorum viuendi inſtituta imitari me poſſe, ſperare debuerim: Ego medius fidius ſatis me minorem ferè, quam mediocrem eſſe ſcio: Ad illorum gloriam nunquam dubitaui, fruſtra me aſpiraturum. Viam vero rectam, & conſtantem, per quam ad bene & beatæ viuendum contendatur, omnibus quoquo ingenio, quibusq: facultatib. ſint, communem, & in medio eſſe poſitam ſemper putaui. Quando vt à DEORVM præſtantia longius multo, quam quantum ima terra ſummo cœlo interſit, homines abſint, nulla tamen, aut lex, aut ratio impedit, quin pro humanæ naturæ captu, ab illis quam poſsimus, plurimam ſimilitudinem arripiamus. Quare nemini videri debeo confidentior: ſi in vita conſtituenda, eorum veſtigiis inſtiti: à quorum magnitudine

EE atq:

atq; excellentia me longisſime abeſſe,& omnes norunt, & ipſe confiteor: Neque rurſus mihi crimini ducendum puto: Quod eam viam, vel reflante ſæpius fortuna tenuerim, ad cuius illi extremam fere metam, Dis hominibusq; approbantib. peruenerũt: Quod ſi mihi noua hæc conditio ad veterem ita addenda fuiſſet: vt de meo priſtino in uos Auditores officio, vel pauxillulum detrahendum, ac diminuendum eſſet: nihil (DEVM cœliteſq; omnes teſtor) tanti æſtimaſſem: nullum mihi tam amplum, tam prolixum, tam honorificum proponi præmium potuiſſet: quod mihi præ meo perpetuo commodi, atque vtilitatis veſtræ ſtudio non ſpernendum, ac pro nihilo habendum duxiſſem. Nunc vero cum rebus omnib. circumſpectis, quaſi ſummam ocii, ac negocii mei feciſſem, ac plane collegiſſem, ita me nouũ penſum ſuſtinere poſſe, vt ne punctum quidem temporis meis erga vos publicis, aut priuatis officiis demerem: non putaui mihi committendum, vt præclarũ vitæ meæ expoliendæ, & officii conſeruandi, ac tanquam æris alieni, ſine vorſura diſſoluendi occaſionẽ amitterem. Quod cum ita ſit: vobis perſuaſum Auditores habetote: hoc prælegendi & docendi munus apud me ſemper primario, & antiquiſsimo loco futurum: neq; in eo vnquam me minus, aut temporis, aut operæ poſiturum: quam veſtrorum ſtudiorum,

rum,& existimationis, ac fidei meæ ratio postularit: Quod certe & mea sponte facio: & ciuitatis principum monitis, & imperio. Illi enim cum mihi actorũ suorum præfecturam committerent, Senatus etiam consulto cautum voluerunt: ne id gymnasio detrimento esset: ac me ita iusserunt vtriq: muneri præesse: vt hoc necessarium, illud honorarium, et huic illud ornamento, non impedimento esse voluerint: Neq: vero adhuc alias necesse habui pub. negociis horas, quam succisiuas, & vel ambulationib. vel tempestiuis animi remissionib. interdum ereptas impertiri. Non est itaq: nobilissimi, ac bonarum artiũ studiosissimi iuuenes, quod vestrum quisquam se à me destitutum, vel queratur, vel tacite suspicetur: aut mea quidem causa, aut de spe decidat, aut de pristina industria remittat: Quin, qui se meo studio, meo consilio, mea ope iuuari posse putat (atque hæc tam exteris, quam ciuib. edico ac denuncio) aut deposcat, aut significet: Dabo hercule operam, vt intelligat, eque me nunc, atq: ante semper, in bene de isto ordine vestro merendo, acrem & ardentem esse. Et profecto qui possum ego vos Auditores destituere, quin ab humanitatis, pietatis, grati, memorisque animi officio discedam? Vos enim me quasi è sinu vestro dimissum, semper secunda fauoris, gratiæque vestræ aura estis prosecuti. Vos primi indolem meã

 (quan-

(quantacunq: ea fuerit) ad ſpem aliquam nominis crexiſtis: Vos ingenii mei igniculos prædicationis veſtræ veluti afflatu accēdiſtis: Vos in Patauino, Vos in Bononien. hoc gymnaſio perpetuo me concurſu, frequentiaq: veſtra celebraſtis. Vobis quod Clemēs Pont. Max. Quod Carolus Cæſar Auguſtus Imperator inuictus, in magna maximorum principum corona, me de pace perpetua oratione differentem, quē magno cum ſilentio, atque attentione audirent, dignum duxerint: Vobis quod. S.B. ſæpe me ante decretis, auctoritatibusq: ſuis ornarit, & poſtremo ingenti totius populi, ac ciuitatis aſſenſu, qui publicis omnibus monimentis, ac ſanctiori Tabulario præeſſem, me potiſsimum delegerit: Vobis inquam veſtrisq: de me teſtimoniis acceptum refero: Tam multa igitur, ac tam illuſtria veſtra in me merita poſſum ego obliuiſci? aut ſi meminerim (hoc in primis anno, quo ſtudiis noſtris optata arridet temporum tranquillitas: & exterorum bellorum ſucceſſus ad victoriæ ſpem animos noſtros erigunt) non dies noctéſque cogitare, qua maxime vobis ratione gratiam referam? Ego vero ex hoc loco, quam accuratiſsima opera ſatis vt vobis faciam, quantum ingenio, quantum ſtudio, quantum laboribus, ac vigiliis efficere potuero, enitar, atque elaborabo: ac ſi quid veſtrum quiſquam ſibi de me amplius expeti-

uerit:

uerit: is profecto intelliget, ad obtemperandum, neque facultati voluntatem, neque facultatem voluntati plusquam, cum nihil aliud agerem, defuisse. Sin mihi à priuatis operis vestra fortasse in petendo, aut significando minime hercule necessaria verecundia, aut alia quæuis causa vacationem dederit: Quod vacui ac liberi temporis suppeditarit, in id literarum genus conferam: Quo testatum relinquam: antiquissimum mihi, ac maxime præcipuum studium fuisse: vt vobis in studiis vestris iuuandis, ac subleuandis, pro maximis vestris in me officiis, meoq: in vos constantissimo amore, quam possem maximam gratiam referam.

ROMVLI AMASAEI OB AMICORVM DVORVM OBITVM LVGVBRIS ORATIO.

QVI per vnum iam & . xx . annos, ab æstiuis scholarum intermissionibus ita paratus ad vos auditores redii: vt in meis hisce studiorum exordiis, ingenium, ac dicendi facultatem fortasse multi, curam certe, & in meditando solertiam nemo iure desiderare potuerit: Idem tam ab omni apparatu vacuus, & ieiunus ad annuum manus meum in præsentia venio:

nio:vt nisi à vobis & præteritor.annor.nunquam ante hac intermissa consuetudo,& præsens temporum meorum ratio, et mei me conatus conscientia omni negligentiæ crimine liberet: nō possim mihi ipsi, nedum vobis non vehementer displicere.Sed est scilicet peccati huius mei purgandi(si factum id,à quo voluntas abfuit, peccatum est appellandum) in vestra æquitate reposita spes omnis: Eam enim excusationis causam affero . Quæ(nisi mea me fallit opinio) non modo veniam, sed mitis etiam, ac misericordis animi significationem aliquam mihi à vobis elicere posse videatur. Equidem aud. tantum abest, vt de pristino meo in exordiendo studio quidquã fuerim remissurus: vt me nuper grauissimis fortunæ meæ iniuriis perculsum, vel ob id vnum indignissime feram: Quod quo tempore nouos quosdam laboris mei cursus,atq: vti ego existimabam,ad ingenia vestræ excolenda magnopere accommodatos instituebam;eo potissimum tempore ita fuerim luctu & mœrore oppressus : vt nullam adhuc aliam, quam aduersissimorum casuum speciem animo cōcipere,aut cogitatione persequi potuerim.Quo.n. tandem animo me fuisse aud.putatis,cui intra menses fere tres, duorum adolescentum fuerint funera spectanda, quos à primis pueritiæ annis, ea cura & caritate eduxeram,atq: educaram:ut neq: illos ego

à libe-

à liberis distinguerem: neque illi suis vterq: parentib. orbati, alium omnino, quam me vnum patrem agnoscerent? Quid mihi in hoc geminato fortunæ meæ vulnere dolendum, aut deplorandum nō fuit? Quid ad innumerabiles quas ante perpessus fuerā, vitæ molestias, aut acerbius, aut calamitosius addi potuit? Sinite me obsecro humanissimi Aud. in sinu veluti vestro, mei huius infortunii acerbitatem deplorare: Sinite, per fidem vestram vos rogo, experiri me, num, quem adhuc animo compressi, liberius effusus dolor, mihi requietem in posterum aliquam, aut lugendi satietatem afferre possit. Quales amicos, quales alumnos amiserim, & si nostis fere o̅mnes: eorū tamen memoriam quantisper pia prosequor recordatione, nō attentionem modo vestram, sed commiserationis etiam aliquid dolori meo impartimini. Ac quod inusitato mihi ex hoc loco orationis genere vtor: boni quæso consulite. Eorū ego Iuuenum Auditores, interitum non iccirco tam dolenter fero: quod mali illis quidquam in morte accidisse putem. Nam si mores, si vitæ ratio, mihi in illis probata non fuisset: eos ego ne si ex me quidem geniti fuissent, diligere potuissem: Iam vero qui ea vitæ integritate fuerint, qua semper eos esse existimaui: Qui optimis artibus ad veræ laudis studia, summaq: animi contentione semper aspirarint: cum

bonis

bonis, & innocentibus mortem malo eſſe nō poſſe, & ratio, & ſapientum mihi facile perſuadeat hominum auctoritas, mortem illis non mali cuiuſquam initium, ſed miſeriarum, quib. aſsidue vita hominū conflictatur: finem attuliſſe interpretor. Reliquum eſt, vt mea ipſius cauſa angar: Quod ſi fatear: an nō dignus venia iudicetur mœror meus? Si vratur corpus, aut ſecetur, ac non contrahatur dolore, humani nimirū ſenſus expers iure exiſtimetur: Si animus quæ tanto mollior eſt hominis pars, graui aliquo aduerſi caſus impetu feriatur, poſsit is plagam ſuam aut leniter, aut diſsimulanter ferre, quin ab omni humanæ naturæ more ad agreſtem, ac feram potius duritiam deſciuiſſe videatur? Quid vero non grauiter, non indigne in tanta caſus mei acerbiate ferendum fuit? Amicos breuiſsimo temporis curriculo duos amiſi. Sanctum & religioſum eſt amicitiæ nomen. Ac quo pauciores reperias, quibus id recte attribui poſsit: cum omnes ætates omnis antiquitatis memoria, nobis quam pauciſsima amicorum paria prodiderit: eo eſt grauior, & calamitoſior amicorū iactura. At quos amicos? Alterum domeſtico, & eo multorum annor. conuictu, Paterna neceſsitudine alterum mihi coniunctiſs. Iam vero vtrunq; optime conuenientes meorum ſtudiorum comites, & honeſti laboris fideles, ac ſedulos adiutores: Conſortē

vtrunq;

vtrũq; fortunæ meæ, q̃ à sua neuter vnq̃ seiũctã pu tauit. Quid qđ nõ amicos tãtũ, sed binos simul libe ros amisi? Neq: n. quos genui, mihi magis vnq̃ libe- ros esse duxi: q̃ quos erudii atq: ĩstitui: Quinimmo illos, quatenus à me duntaxat geniti essent: minoris semper feci: q̃ quos instituisse tãtũ: Atq; id certissi- ma opinor ratiõe: Et. n. sobolis procreãdæ ĩpetus eo pertinet: vt caduca corpora per filiorũ propagatio- nẽ, à mortalitate quodã modo vindicẽtur: Vt quod in singulis breui interit, id per traduces veluti quos dã, in vniuersa specie conseruetur. Atq: hic nobis cũ animãtib. cunctis ratione carẽtib. occulta naturæ vi ingenitus, cõis est gignẽdi appetitus: Proprius autẽ is est hoĩs: quo impellitur, vt quas rationis, atq: ĩtelli gẽtiæ formas, tãq̃ semina quædã, animo cõcepit: ea docẽdo, in bene à natura ĩformata, & liberali educa tiõe diligẽter culta ingenia, tãq̃ ĩ emollitos, & suba ctos sulcos, ad optimæ frugis spẽ iaciat: Quo quæ fuerit quisq: cogitãdo, atq: inuestigãdo cõsecutus, ĩ alios, atq: alios trãsmissa, & pmaneãt diutissime, & la tissime ꝓpagẽtur. Quare & ipsã id nobis cõfirmãtẽ rationẽ, & sapiẽtiss. ac doctiss. hoĩum auctoritatem secuti, non magis hercule qui ex nobis nati, q̃ qui sunt a nobis eruditi, liberum nomine dignabimur: quin & eo cariores hi esse debẽt: quod p illos cor poris, & oris similitudo, per hos imago animi, & op timar. artiũ ac studior. laus posteritati cõmẽdatur.

Ac vicißim ii ipsi, quos veluti è sinu institutionis nostræ emisimus, nihil profecto est (modo non abu tantur, qua nostra opera tanto meliore vti possunt ratione) quod plus parentib. quàm doctoribus tribuāt. Per illos enim oculis lumen hoc cœli, omnib. sensu præditis commune corporibus aspexerunt: Per hos emicantem è diuinæ mentis radio purißimam illam scientiar. lucem, tanq; à Prometheo seru la ostentatam hauserunt. Et quid tandem à parentibus, si aliud nihil, nisi parentes sint, habemus? Nempe quod sumus: quo certe nomine, quantum natura præscribit, Lex imperat, illis debemus: At præceptoribus, quod maius, aut præstabilius beneficium deberi posSit: quam, quod per illorū solertiā, & summam in nos charitatem consequimur, vt non huma nā figura, ac humano tātum habitu homines simus, sed vt omni humanitatis genere, quo augeri, & exor nari ratio, & oratio posSit, cœteris etiam hominib. antecellamus, & ad diuinæ naturæ excellentiam, ac maiestatem (quam proxime homini ius fasq; est) ac cedamus? Ac doctores quidem, & magistros melius multo de discipulis, quā de liberis parentes mereri, Atheniensium lege est declaratum. Nam cum omnes Græcor. leges liberos cogerent, vt parentes alerent: sanxerunt hi, vt eos tantum parentes fraudi esset capitali non alere: qui filios bene ac liberaliter erudissent

erudiſſent. Quod ſi parentib.plerunq: eam ob rem plurimũ nos debere putamus: quod domos, agros nobis, quod pecuniam relinquunt: quæ ſunt res incendiis, direptionib. multis calamitatum generibus expoſitæ: Quid tandem iis debeamus: quorum in nos ſingulari beneficentia, virtutis immortalia, atq: omnium externorum caſuum immunia adepti fuerimus bona? Quare ſi ii, quorum nunc obitum deploro, æque mihi cari, ne cariores dicam, quam ipſi liberi eſſe debuerunt: cum non vnos, ſed binos eodem prope tẽpore liberos amiſerim: Miretur quiſquam, tantæ calamitatis meæ perpetuæ cogitationi trimeſtre tẽpus datũ, ac nulli fuiſſe in oppreſſa mœrore mente alii cogitationi locum? ac nõ potius mi retur, cum alterum nocturnis inſidiis (incertũ quorum hominum ſcelere & immanitate) audiſſem fœdisſimis vulnerib. optimum atq: innocentisſimum adoleſcentem (ſic enim ſemper exiſtimaui) transfixum, ac laceratum: Alterum vero morbi occulta vi ipſe viderem intra primum & vigeſimum diẽ, quã decumbere cæperat, conſumi: duplicato dolori me tam diu ſuperſtitem eſſe potuiſſe? aut me nunc animum induxiſſe, vt in hunc locum, atq: hũc ornatiſs. conſeſſum veſtrum prodirem: cuius cõſpectus vt ante me ad agendum, & dicendum vehementer conſueuerat excitare, ita in præſentia, triſti atq: acerba

recordatione, obiecta carissimorũ capitum specie, non modo operis, ac muneris mei, sed mei etiam ipsius mihi memoriam eripit? An possum ego vultus oraq; vestra Iuuenes intueri? aut in vllam istius sessionis partem oculos conferre: Quin statim animus illorum præsentiam requirat, & stupore defixus, in quib. illi tam sæpe cõsederunt, subselliis inhæreſcat? Quid vero? quod non mea vnius, sed vestri etiam ordinis, ac vestror. studior. nostræ etiam huiusce ciuitatis causa, eorũ ego mortem molestissime fero? Erat.n. alter id exercitationis curriculum ingressus, vt, cum natu multo grandiorum, qui studia hæc nostratia profitentur, laude certaret: me vero, cuius ille similitudinem, vel cõsilio, vel errore effingere, & exprimere cupiebat: ita fuerat assecutus: vt qui eius in discendo opera vti posset: is iam nihil meam magnopere desideraret. Erat in meditãdo ac commentando solers, in dicendo clarus, & compositus: oratione vtebatur tam castigata, tam polita, tam multis ingenii luminibus distincta: Enunciabat cum latina, tum græca, tam soluto oris sono, tam dulci & splendida voce, eaq; actionis venustate, vt ad hoc scholasticum dicendi genus natum, & factum omnes iudicarent: Neq; ad perfecti interpretis laudem, quidq̃; ei, præter prolixiorem quãdam lectionis vbertatẽ, quam pro summo eius studio, ac vigilãtia maximã

ætatis

ætatis progresſio fuerat allatura, deeſſe videbatur. Quid igitur damni hoc amiſſo factum ſit, in tãta hominum penuria, qui ab hoc perneceſſario quidem, ſed pleriſq: omnib. moleſtiſsimo docẽdi labore nõ abhorreant: non eſt difficile iudicare: atq: hæ fuere ſpectatæ, & probatæ omnib. qui illum norant, alterius laudes. Iam vero alter, quod exempli, atq: imitationis lumen natu minorib. accenſurus videbatur: Qui grauitate, prudentia, ciue optimo digniſsimis quibuſq: virtutibus, nulli non prouecta iam ætate homini par eſſe videbatur? Sed mitto mores probiſſimos, vitæ etiam integritatem, atq: innocẽtiã, quæ fuere in eo ſumma, ac prope ſingularia. In tanta eorum iuuenum paucitate, qui ſpretis & contemptis voluptatum ac domeſticar. delitiar. illecebris, per laborem, & vigilias optimum doctrinæ genus conſectentur: Quanto huic ciuitati, ac noſtrati iuuentuti erat ornamẽto, tãta in Græcis latiniſq: literis atq: omni humanitatis cultu indole adoleſcens? Vt optare multos eius ſimiles debeamus, quam pauciſsimos, ſingulæ huius ciuitatis ætates prolaturæ videantur. Satis iam à vobis auditores, iuſtum dolorem meum, non mea magis, quam veſtra etiam, ac ciuitatis huius cauſa ſuſceptum, veniam arbitror popoſciſſe: Quod hoc anno non modo imparatior quam vnquam ante ad vos redierim,

Verum

Verum etiam, quod ne inchoatam quidem, & informatam in cotidianas operas, ac prælectiones meas commentationem attulerim. Qui. n. potui: cui amicis opt. ac mei amantiss. cui alumnis, cui deniq: filiis duob. ereptis, ne tertia quidem eius temporis pars exierit, quæ veteri lege, ac populari cõsuetudine ad lugendum, vel singulos cuius vis gradus necessarios constituta est? Verum enimuero, & res ipsa iam, & sapientissimorum hominum scripta me, & voces admonent: Omni animi ægritudini esse aliquãdo modum statuendum: ac necessitatis vim ratione anteuertendam. Video præterea ab officio eos parentes discedere: qui amissorum dolore, ac desiderio liberum, reliquorum curam negligant. Quare satis me meorum interitum luxisse putabo: Si illis in hoc iuuenum conuentu, qui mihi solet amplissimus semper atq: ornatiss. videri: iusta quodam modo fecero: ac nouissima ad eorum veluti tumulum, verba dixero: Tuos igitur primũ Faustine manes testor: fore mihi coniunctionis, ac necessitudinis nostræ, actæq: simul honestissimæ vitæ memoriam multo iocundissimam: interitus vero tui, quo meus tanto celerior esse debuerat: quãto ego in vitam celerius veneram: omni tempore fore mihi acerbissimã recordationem: tui vero ingenii, tuæq: indolis flosculos tam diligenter conseruaturum: vt ex eorũ elegantia

gantia, ac pulchritudine, quales fructus daturi fuerint, si nobis eos fati tui iniquitas non inuidisset, facile, & præsentes, & posteri etiam fortasse intelligãt. Tibi vero optime ac suauiss. Garisende, quoniã ante mihi te præproperæ mortis eripuit ímaturitas, quam aut egregii mei in te amoris, quale maxime cupiebam specimen dare, aut meis erga te officiis, ingentib. Patris tui viri grauiss. ac prudentiss. in me meritis potuerim respõdere, Filiolum certe tuum, quem marem vnicũ reliquisti, meæ à te tutelæ atq; institutioni testamento commendatum, ea me charitate, vsq; dum in vita mansero, ac beneuolentia cõplexurum spõdeo, ac recipio: vt nihil plus curæ, atq; operæ in eius æqualis, ex me nati educationẽ, ac disciplinam à me impendi, & cõferri potuisse, & communes olim nobis amici, ac necessarii iudicent: & pueri, quem quantum coniici possit, ex tam teneræ ætatis indole, tui auiq; cætera simillimum, viuaciorem vero multo fore spero, in optimis artib. ac studiis progressus planissime declarent. Sed ab hac luctus mei veluti clausula, ad vos auditores redeo. Vestra profecto studia, eo mihi maiori iam curæ esse debere existimo: Quod cum de iis in quibus aliqua laudis, meritiq; mei spes erat reposita: quiq; quantũ in literarum studiis profecissent, mihi id totum grato memoriq; animo acceptum referebãt, Multos è

vita

vita immaturus exitus sustulerit: Multos locorum interualla ab oculis remouerint: iam nouum mihi optimorum iuuenum veluti seminarium instituendum censeo: in quorum ingeniis quasi felicib. plantis colendis, & ad frugem optatissimam perducendis, ita se mea, quãta cunq: ea sit, exerceat industria: vt ad commune cum nostræ huiusce longe florentissimæ, tum aliarum ciuitatum decus, & vtilitatẽ, optimi, ac pulcherrimi se efferant fructus. Vos tantum obsecro, atq: obtestor, ne meam de vobis bene merendi cupiditatem, ac verius perpetuum ardorem, hodiernæ orationis, aut doloris potius mei testificationis ieiunitate, Sed cotidiani laboris perpetua contentione, atq: assiduitate metiamini: Ac vt me sequentibus deinceps diebus, ad propositum interpretationis munus transeuntem, quo soliti estis studio, atque attentione deducatis.

ROMVLI AMASAEI DE PAVLI. III. PONT. MAX. ERGA LITERATOS HOMINES BENEFICENTIÆ SPE ORATIO.

EST hoc in more positum, Auditores, institutoq: maiorum: vt ætatum, temporumq: spacia, Pontificum Maximorum nominib. distinguantur: Ac vt noui veluti lustri initium, eius qui in demortui locum successerit, prima illa multo augustissima renunciatio numeretur. Quod sane nouati quodammodo temporis exordium, cum in solennia nostra hæc studiorum initia inciderit: & adhuc ex recenti, atque optatissimo nuncio, sublatis in cœlum gratulantium vocibus aures personent: Ante oculos vero nobis sint, veræ ac viuentes imagines ipsius noui Pont. Max. nepotes adolescentuli tres, non fortunæ tantum, ac generis claritate, sed multo magis ingenio, ac liberalissima institutione æqualium suorum præstantissimi, ac mnlto natu maioribus pares, vnde auspicatius ad munus meum aggredi possum: quam si ab ea spe exorsus fuero: quam faustissimi huius Pontificatus primordia nobis ostẽtant? Dabitis igitur hanc mihi hodierno die veniã, nobilissimi, ac rerum mihi omnium carissimi Audi-

tores, neq: eam (opinor) studiorum vestrorũ rationib. alienã, vt de ea spe, atq: expectatione pauca disseram: ad quam merito eorum animos, qui artis ac disciplinas eas consectantur, quæ literarum studiis continentur: hic ipse pontificatus erigere debuit atque excitare. Quod orationis genus, non vllius à quoquam gratiæ captandæ studio à me suscipitur: Sed vt cum meam apud vos, animosq: vestros opinionem testatam reliquero: atq: eam certis, ac perspicuis rationib. comprobaro: qua vos in iis studiis colendis, & retinendis, in quæ vestrum quisque incumbit, alacritate esse oporteat: planissime cognoscatis. Quo liberalium, atque ingenuarum artium studia ad summam laudem, atque ad frugem optimam proficiant, maximeq: vigeant, & efflorescant: Præter ea, quæ in hominibus ipsis posita sunt, à natura adiumenta: animi dico celeres motus, & ad excogitandum acutos, ad res explicandas, & ornandas vberes, ad retinendas fideliter, firmos ac diuturnos: Ac præter ea quæ aduentitia, & extranea appellantur: ex quibus discendi facultates existunt, bonarum artium cum doctores, tum monimenta suppetunt: Duo mihi vel maximi momenti videri solent: Vnum est temporum, aut imperiorum conditio: Alterum summorum Principum mores & ingenia: Ab illo animi est aut tranquillitas, aut perturbatio:

turbatio:Ab hoc iis,qui ſe doctrinarum ſtudiis dedi derunt, vel commoda,vel incommoda, & ipſorum principum propoſita eſt imitatio. Ac ſi pacata quidem & quieta ſint tempora, per ſummum ocium & à moleſtiis vacationem, efferunt ſe rectiſsima quæque ſtudia: fouentur ac propagantur. Quæ profecto ob eam in primis cauſam,in maximis ſemper imperiis enituerunt: quod ibi tutiſsime Muſæ habitant: vbi per hominum opes ac potentiam, & certa illis parata ſunt præſidia, & à malis, ac calamitatibus ſecuritas: vt æque ſapienter Poeta, ac omnia,Calliopen regum comitem dixerit:Et quem auerſorem, ac propulſatorem periculorum, monſtrorum domitorem, Iouis filium Herculem Græci celebrarunt, eundem etiam muſarum ducem appellarint. Videmus itaque apud Athenienſes: quandiu illi terra,mariq: cunctæ Græciæ imperium tenuerunt: per eos tres & ſeptuaginta fere annos, tot enim fuerunt (niſi mea me fallit memoria) multa & præclara cum Poetarum, tum Philoſophorum & oratorum ingenia, quaſi ſydera effulſiſſe: Quæ cum de rebus maximis diſſerendi ſubtilitate, tum aurea,ac prope diuina carminis,& ſolutæ orationis facultate, toti terrarum orbi,atque omnibus ſæculis, cognitionis, & eloquentiæ clariſsima lumina accenderunt. Videmus apud ipſos rerum dominos

GG 2 Romanos,

Romanos, non nisi fractis altero bello Pœnorum viribus, sero vt ita dixerim, partu, poetas & oratores, & eos quidem tolerabiles, in lucem editos: vt tum demum, Musa pennato gradu (vt poeta dixit) sese bellicosam in Romuli gentem feram, visa fuerit intulisse. Constituto vero iam omnium gentium imperio, non ita multo ante Octauiani Cæsaris principatum, mira fœlicitate, & luculento ingeniorum numero, linguæ etiam ipsius quasi dominatum perfectum & expolitum: Philosophum tamen spisse omnino, ac vix in lucem prodiisse. Atque vt ab exteris etiam gentibus exempla petantur: Macedonum regno iam confirmato, fuit apud Archelaum in honore Euripides. Oppressa à Philippo Græcia, imperii illius magnitudinem, tenēte iam præsertim Asiam Alexandro, præclāra est doctorum hominum series consecuta. Inter quos primas obtinuit magnus ille intelligendi, ac dicendi auctor, & eiusdem Regis magister Aristoteles. Est profecto doctrina omnis, aut pacis comes, ocii socia & tranquillitatis, aut præpotentium Imperiorum alumna. Itaque eadem semper qua imperia ipsa conciderunt, ruina, oppressa etiam sunt literarum studia. Quæ certe res, neq: probationem, neq: exemplorum cōmemorationem desiderat: Cum multis librorum, saxorum etiam monimentis, testata sit ea barbariæ, vel infan-

infantiæ, vel inſcitiæ fœditas, quæ deleto per Gothorum, & aliarum Barbarici nominis, & efferæ immanitatis gentium irruptionem Rom. Imperio, euerſis pulcherrimis, & nobiliſsimis Italiæ vrbibus, latiſsime vſque ad hæc ipſa tempora ſerpſit & inoleuit: Cum nemo tam ſit rerum imperitus, ac rudis, quin Græciam neſciat, altricem bonarum artium, florentem olim omnium ſcientiarum gloria, ita à ſæuo, & truculento Tyranno, cum fortunis ſuis omnibus, omni linguæ, atque eruditionis ornatu, & elegantia ſpoliatam, vt inter tot maximarum olim vrbium ruinas, ac verius cadauera, ne veſtigium quidem vllum priſcæ humanitatis remaneat. Cum poſtremo hiſce ipſis temporibus, multos & patriæ amātiſsimos, & literarum ſtudioſiſs. homines audiamus: cum doleant & ingemiſcant: doctrinarum ſtudia, quæ patrum memoria multorum ingeniis, & lucubrationibus, per longam Italiæ pacem excitari, & ſitu deterſo in priſtinum ſplendorem reſtitui cœpta fuerant: per turbulentiſsimas tempeſtates, ac potius proximorum annorum miſerias, tranſalpes pulſa & fugata, in longinquis ſibi iam regnis, & pacatis terris domicilium quæſiſſe. Atque hanc quidem vim, & certiſsima veluti momenta, ad literarum ſtudia, aut ornanda, & illuſtranda, aut negligenda, & abiicienda, temporum, & imperiorum

condi-

conditiones mihi habere videntur. Quid vero de Principib. dicam, penes quos omnis doctrinæ, præsidia sunt, & inuitamenta? Vt non magis Hercule in mundi vniuerso globo medii orbes, eius qui extimus est, motu conuertantur, & complexu librẽtur: quam è principum nutu pendeant: èq: eorum gratia & beneficentia literarum, ac liberalis eruditionis studiosi homines vitam ac spiritum ducant: Vera illa fortasse nõ est, aut oraculo potius simillima vox: Honos alit artes: omnesq: incendimur ad studia gloriæ. A quib. vero aut honoris, aut gloriæ quasi quib. dam aculeis, boni & docti homines incitabuntur: si à Musis, à literis, à rectis studiis auersæ fuerint principum cogitationes? Quam paucissimi certe ex omni memoria proferri possunt, ingenii, & cognitionis laude eminentes, qui è Principũ quasi sinu non euolarint: Neq: magis ad pugnam milites lituorum tubarumq: cantu, quam boni Principis vultu ipso & vocib. ingeniosissimus quisq: & eruditissimus ad rẽ literariam gnauiter gerendam incitatur. Non commemorabo hoc loco, qui, apud quos Principes literati homines priscis temporib. floruerint, & in honore maximo fuerint: in suscepta. n. oratione modũ potius, quam copiam quæro: & exempla libentius è proximis quibusq: ætatib. modo vt suppeditent, petere cõsueui. Missos igitur facio, qui ab Heroicis

vsq:

vſq: temporibus, vel Poetæ, vel Philoſophi Regib. ac Ducib. cariſsimi fuiſſe memorentur: Nihil de iis dicam, qui vel cum Periandro Corinthio, vel cum Thebano Epaminonda, vel Syracuſanis Hierone, & Dionyſio, apud Romanos cũ vtroq: Africano coniunctiſsime vixerunt: ſciens & volens prætereo feliciſsima illa, & eruditiſsima ſæcula Aug. Cæſaris, Titi Traiani, Alexandri Romanorum Imperatorũ: Qui omnis cum ſine doctorum hominum cõſuetudine, vitalem ſibi eſſe vitam non putarent: pro caducis vitæ ornamentis, quibus amicorum lectiſsimas coronas honeſtarunt: per eorundem ipſi ingenia ſunt nominis immortalitatem conſecuti. Eſt præterea vti hominum DEVS, ſic Princeps eorum, quib. præeſt, commune, & in medio poſitum exẽplar. Eſtq: illud à Platone diuinitus dictum, & à multis ante Ciceronem, & ab ipſo Cicerone latinis literis repetitum. Quales in rep. Principes, tales reliquos ſolere eſſe ciues: Quales idẽ Plato inquit dominæ, tales catuli. Proinde itaq: ac Principes, vel equis & armis, vel canib. & venandi ſtudio, vel ludis, conuiuiis, alea etiã, & amoribus delectentur: par eſt, & eos qui ſub eorũ ſunt Imperio, conſimilia ſtudia conſectari: neque vultus magis ad ſpeculum, quam mores ad eorum ſtudia, & volũtates componere: Atq: id non in actionum tantum, & ſtudiorum quibuſdam generibus,

ſed

ſed in ipſo medius fidius motu corporis, & inceſſu, totoque habitu, & ornatu ſæpe eſt animaduerſum: Neq: magis profecto liberi parentum artes, quam ciues Principum ſtudia æmulātur. Placet hac in parte iis principibus, qui vel noſtra, vel parentum ætate, de literis, literatiſq: viris bene meruerunt: hunc in veſtro iſto ornatisſimo, atq: amplisſimo conſeſſu honorem habere: & qua ſola poſſum ratione gratiā referre: quod eorum opera, ſtudiis, animi magnitudine, ac beneficētia, perfectum eſt: vt literæ, ac liberales diſciplinæ, quarum non ipſa tātum forma, ſed color etiam, & vetus illa ſpecies aduerſisſimis temporum caſibus abolita euanuerat: ad priſtinæ pene pulchritudinis decus reuocatæ, atq: ex ipſis etiā ſepulchris, in quibus longiſsimum annorum ſpacium iacuerant, fuerint excitatæ. Quo quidem in numero, tres Pōtifices Maximos nominare habeo. Nicolaum. v. Pium. II. Leonem. x. Tum ipſius Leonis auū & patrem, Medices, Coſmum, & Laurentium, & cū his Guidonem Vbaldum Feltrium Vrbini Regulū, quos omnes honoris, atq: amplitudinis cauſa nomino. Amiſiſſemus, mihi credite Aud. amiſiſſemus omnem proculdubio, quam & nunc retinemus, & vti ſpero & cupio, in poſterum confirmabimus, & amplificabimus, latinarum, Græcarumq: literarum dignitatem: niſi multi vndecunq: ingenio, & doctrina abun-

abundantissimi homines, ad proposita ab illis non præmia solum, ocia & honores, sed exempla etiam, tanquam apes ad bene cultos, & floribus referros hortos aduolassent: Qui abdita, & retrusa inuestigã do, noua commentando, obscura & incognita illustrando, perplexa explicando, horrida & inculta expoliendo, felicissimas nobis propagines antiquæ eruditionis, & linguæ, è sterili, ac prope iam arida materia excitarunt. Od igni Principatu homines, ac verius Heroes & Semidei. Non feritatis vos & immanitatis, per cædes, rapinas, ac ciuilia bella, posteris monimenta reliquistis: Sed curam, studia, opes, copiasq; vestras, ad omne humanitatis genus excolendum contulistis. Quæ erit vnquam tam barbara gens aut natio, quæ tam rudis, & indocta ætas, quæ laudes vestras aut obliuione obruat, aut silentio inuoluat? aut quæ vere felicem vestri nominis memoriam, non pia quouis tempore, & grata recordatione prosequatur? Dixi quid temporum status, principumque ingenia ad literarum studia ornanda, appositum habeant, & accommodatum. Nunc quã nobis, & quæ instant nunc tempora, & noui Pontificis creatio spem polliceantur, dum breuiter dissero: attente me obsecro, & libenter auscultate. Sunt quidem Auditores, de posteris temporibus vota potius facienda: quam vt cum rerum euenta

ctos homines lenitate, auream hanc pacem imperti uerunt: Iam vero quanta, & quam inuſitata extitit agrorum vbertas? quanta rerum omnium, quarum humanæ vitæ vſus indiget, copia? Quare ſi funeſtiſſimis temporibus, cum hos agrorum populationes, vicorum incendia, vrbium direptiones, illos fames, alios peſtilentiæ metus, atq: hæc pleroſque omnes omnia exercerent: anxiæ nos & acerbæ ægritudines, aut mœrore oppreſſos, aut ingẽtium malorum metu afflictos tenuerunt: atq: omnem docendi diſcendiue alacritatem, quæ animi ſecuritate maxime conſtat, reſtinxerunt: Nũc in ſumma quiete & ocio, Quid officit, aut aduerſatur: quo minus ſtudiorum noſtrorum curſus, & nunc fœcundisſima aſpirante fortunæ aura inſtaurentur: & conſtantisſime retenti ad optatos exitus prouehantur? Atq: hic quidem eſt præſentium temporum ſtatus. De ſummo vero Principe, qui nuper ſub Pauli tertii nomine Pont. Max. declaratus, magno Romanorum Patrum conſenſu, & ingenti omnium gentium plauſu, ad Chriſtianæ reip. gubernacula accesſit: Quæ propoſita ſpes nobis, quæ expectatio eſſe debet? An non is eſt, qui cum omnium opinione iam multos ante annos, vnus qui Pont. Max. crearetur, dignisſimus ſit habitus: cum cuncti mortales, ſi fieri poſsit, iam immortalem eſſe cupiant? Quem tanquam è cœlo

missum salutare quoddam numen, ad recreandam, tuendam, amplificandam remp. agnoscimus & veneramur? A quo solo inter omnes Principes, pacem constitui, & confirmari, vitæ licentiam coherceri, corruptos mores emendari, intermissa, ac pene abolita iura, leges, æquum bonum, religionem, ac pietatem reuocari posse auguramur? Aut si ne ab hoc quidem sarciri hæc, ac restitui possint: quin pessum eant ac pereant omnia, prouideri nulla iam ratione, aut modo posse putemus? Et merito quidem: nihil est enim tam arduum ac difficile, quod ille nō virtute, atq: animi magnitudine suscipere, prudentia, ac constantia sustinere, vitæ sanctitate, & auctoritate tueri, & conficere possit. Verum hæc communis est toti christianæ reip. spes: quid illa, quæ cū orationis meæ proposito multo est coniunctior: quam expressa, quam illustris? Pont. is nobis Max. Auditores, diuinitus obtigit: qui incredibili semper literarum amore flagrauit: Qui cum suo studio, tum doctorum perpetua adiutus consuetudine, tantum è Græcis, Latinisque dicendi, atq: intelligendi fontibus hausit: vt ei cunctorum hominum consensus non magis ob generis claritatem, & cum fortunis cōiunctam virtutem, quam optimarum artium cognitionem, inter collegas suos principem locum tribuerit. Quem igitur vnquā de honestis studiis, bonisq:

bonisque literis bene meriturum speremus: si hic non vnus, plusquam cæteri simul omnes, quos paulo ante nominaui: de vestris commodis, atque ornamentis cogitarit? Si non magnam curarum suarum partem, ad eas artes, quibus ab ineunte ætate ipse deditus fuit, decorandas, & honestandas incubuerit? Equidem in eam sententiam facile adducor: Romano hoc Pontifice, Romanā illam eloquentiæ, atq: omnis liberalis eruditionis dignitatē, in suū decus, & splendorē vindicatum iri: atq: optimū quenq: & studiosissimū optimarum literarum, in posterum, neq: rei bene gerendæ adiumenta, neq: virtutū honores, aut laborum præmia desideraturum. Quare debetis optimi ac nobilissimi adolescentes, cōuersa tam fœliciter temporū, ac Summi Principatus orbe, eniti, atq: elaborare, vt dignos uos his tā secūdis nouæ quasi ætatis initiis præbeatis. Quod profecto efficietis: si omni alacritate, omni animi contentione, quē iam ingressi estis, studiorum cursum tenueritis: Cū ea. s. spe, atq: expectatione, & vestrū vnumquēq: & totum hunc florentissimum conuētum vestrum, quod fœcundissimū semper fuit scientiarū omnium seminarium, hoc Pont. Max. ea omnia cōmoda atq: ornamenta consecuturum, quæ à Maximi, & beneficētiss. Principis volūtate, & gratia proficisci possint. Cuius certe rei euentū, non ipsius modo Principis

diuina

diuina virtus, ſed trium etiam horum adoleſcentum eius nepotum, ingenia & mores vobis præſtare videntur. Nam cum ii in hac ſtudiorum celebritate liberaliſsime educentur, & ab optimis, atq; eruditiſsimis præceptorib. inſtituantur: dubitare certe nō poſſumus: ciuitatem hanc altricem ſuam, æque caram ac patriam ipſam habituros: ad veſtrum vero ordinem commendandum, iuuandum, ornandum, fraterni in vos amoris omni tempore documenta daturos. Eſtis vos quidem (vt vobiſcum iam loquar) Pontificii adoleſcentes, in ampliſsimis nati fortunis: ad multo vero ampliores Dei Diuorūq: ope, ac veſtri aui virtute & meritis educti: Sed ſi is ſum: cui credēdū aliquid putetis: hoc mihi credite: nō purpurā vos aut inſulas, non quæuis maximorum honorum ac dignitatum inſignia, illuſtriores, ac magis cōſpicuos reddere poſſe: quam ſecundum eas, quas nunc ſedulo colitis diſciplinas, ea ſtudia, atque officia, quæ & in vniuerſum iſtum ordinem, & in eius lectiſsimum atque honeſtiſsimum quenque, ac veſtri quam ſimillimum contuleritis. Dixi.

ROMV-

ROMVLI AMASAEI ORATIO DE LAVDIB. STVDIORVM HVMANITATIS.

S i quidquam mihi Auditores, frequenti conspectu vestro, aut iocundius vnquam fuit, aut ad studiorum meorũ rationem accommodatius, facile atq: æquo animo ferre potui: me ex veteri consuetudine, tandiu horum subselliorum, huiusce concionis aditu prohiberi. Sin ita ab ineunte ætate vitam institui: vt mihi nihil neq: honestius, neq: ingenii mei exercitationi aptius vnquã esse putarim, quam inter vos frequenter, atq: assidue versari, vitã vero ipsam sine vobis acerbam, aut potius nullam esse duxerim, nõ minus hercule vobis, ac vestra ista luce inuitus carui, quam vos ipsi, quæ vobis maxime voluptati esse consueuerunt, si frui non liceat, non cupide tantum, sed solicito etiam animo requiritis. Ac mihi quidem, quamdiu licet hunc ad dicendum ornatissimum locum celebrare, omni studio, cura ac prope solicitudine, in optimis ac rectissimis studiis vestris iuuandis, atq: ornandis, meo in vos officio, vestris in me meritis satisfacere contẽdo. Simul ac vero cotidiana mihi consuetudine vestra interdictum est, vestri cunctorum desiderium, vnum illud commentando ac meditando lenio: quanam potissimum

orbe, vel concentu totam humanitatem existere: cuius longe minimam partem is teneat, qui earum sibi artium vnam aliquam, sine hac ipsa copiose, & varie dicendi facultate compararit: Qui vero hanc cum suarum quauis consociarit: hunc multo maximam, ac longe maiorem, quam dimidiam humanitatis partem tenere. Ac dum huius rei vobis rationes expono, quæso vt me Auditores, sicut facere instituistis, benigne attenteque audiatis. Ac primum quidem satis inter omnes constare illud arbitror, & humanæ naturæ lenitatem ac mansuetudinem, & scientiæ studiiq: facultatem quandam, communi nomine à latinæ linguæ Auctorib. & parentib. humanitatem esse appellatam: cum tamen suum priuatim nomen vtrique, Græcæ orationis vsus dederit: aliter.n. eam quam de summis virtutib. vnam esse, quaque maxime voluerunt hominũ inter ipsos beneuolentiam, ac societatem constare, aliter vero hanc, quæ ad doctrinam, liberalemque eruditionem pertinet, nominarunt. Neq: vero mihi est hodierno die de superiore illa oratio instituta: De hac vna, qua humanum ingenium excoli, erudiriq: potest, omnis disputatio mea futura est. Hanc ego multo latius patere censeo, quam vulgo video existimari. Quotus enim quisq: est, qui quæ studia paulo altiora esse, & maioris acuminis, longiorisq: temporis indigere arbitre-

tur,ab humanitate tanquam aliena nõ ablegetʔ Atq: huic non ea tantum relinquat, quæ non à tardiorib. modo & pinguioris vt aiunt mineruæ, ſed ab oſcitãtib. etiã ac dormiẽtib. recte tractari ac percipi poſſe putetʔ Quid.n.aliter cẽſeat, qui in huius ipſius quaſi veſtibulo, frontis veluti quadã ſpecie captus conſtiterit: ad interiora, atq: adeo ad receſſus amplitudinẽ non proceſſeritʔ Sed hæc alias. Nunc illud vobis me probaturum confido: Humanitatem ex duabus perfici, intelligẽdi.ſ.ac dicendi partibus: ex illa ſcientias omnes, ex hac eloquentiam exiſtere. Qua vero id ratione probari poſsitʔ Nempe quod ſi quod immortalis DEI maxime proprium eſt, Diuinitatem, Quod vero feris eſt à natura tributum, feritatem recte appellamus, non video cur id, quod eadem natura vni homini proprium impertita ſit, non id ipſum proprie, neque aliud quid, quam humanitas appellari debeat. Ac ſi ſummam ſapientiam, ingentem bonitatem, infinitam potentiam, DEI propria bona, ſuum vero ferarum eſſe dicimus, ad id quod adeſt, quodq: præſens eſt, ſenſu moueri: Quis iam dubitet, quin ratio & oratio peculiaria ſint, ac propria hominis muneraʔ Quid erit igitur aliud humanitas, quam ratio cum oratione coniunctaʔ Atq: vno quidem de rationis fonte omnes ſcientias, omnes omnium rerum artes profluxiſſe nemo negarit. Si quid

quid enim est aliud in homine, vnde cogitandi, perspiciendi, iudicandi facultas, ipsa etiã memoriæ vis profecta videatur, eo fortasse disciplinarũ, artiumq: omnium inuenta referantur. Sin neque sine his aut inueniri, aut excogitari quidquam potuit: Hæc vero ipsa rationis certißimæ sunt partes, Ambigi certe minime debet: quin quæ vnius rationis beneficio ac munere hominibus parta sunt bona, ea vniuersa humanitatis, cuius ipsa ratio altera pars est, quasi fœcundißimæ parentis gremio contineãtur. Quod siquis ab humanitate grauiorum scientiarum studia diuellere conatur, ex eo ego quæro: cui nam illa parti subiicienda arbitretur. Certe quæ esse dicuntur, omnia, aut animæ sunt expertia, aut spiritus sui vi consistunt: quæ vero sine mentis, & eo quidem vehementi motu, elici, atque inuestigari non potuerint, inanimis ea rebus attribui non posse, nemo non videt. Iam vero eorum quæ suo nutu mouentur, quæ vigent, ac sentiunt, triplex omnino natura est: in quarum vnam omnino eas de quibus nũc agimus, facultates cadere necesse est: DEI vna est: Brutorum est altera: tertia atq: adeo media hominum, Quod siquis harum rerum studia à DEO ortũ ducere existimet, neq: ego negarim humanitatem totam, diuinæ mentis particulam esse:

dummodo mihi illud concedatur, non esse diuinitatis ea studia propria, quorum pars maxima opinione constet: cum opinio ipsa à scientia, qua potissimum nititur diuina natura, longissime absit. Ad quam igitur quod graue, quod amplum & magnificum, quod subtilitatis, obscuritatis etiam plenissimum studiorum genus fuerit, ad quam inquam Naturam referemus? Mutarum ne animantium? prohibeant hoc Di, cuiquam id in mētem vt veniat. Quae iam igitur restat, nisi humani animi vis, cui hæc omnia accepta referenda sint? Quidquid enim est ingenio quæsitum, ratione inuestigatum, studio elaboratum, industria & exercitatione perfectum, hoc totum, totum hoc inquam, ab humana natura emanauit: à qua cum ipsa hæc, de qua nunc loquimur humanitas, seiungi non posit, qui magis poterit vlla humana disciplina ab humanitate segregari? At diuersa sunt inter se studia: sua quadam eorum singula specie dissident: certis veluti finibus circūscripta sunt: appellationibus etiā differūt: aliud est alio maius, grauius, obscurius, alio itē aliud festiuius, amœnius, iocundius. Neq: ego Aud. ignoro, rerum formas à suo genere, à toto partes, certa quadam nota discerni posse: Sed illud disputo, nullam esse ex ingenuis omnibus artib. quæ humanitatem tanquam suam quandam parentem non debeat agnoscere, nullum

nullum omnino ſtudium eſſe,quod ab humanitate, tanquam noſtri maris pars aliqua ab oceano, non deriuarit.Niſi ſorte aut Nili,aut Iſtri,aut noſtri etiã Eridani plures alueos,atq: hoſtia aliud eſſe ab vniuerſo amne,aut cœleſtium ignium orbes,quod ſpaciis,quod poteſtatib. quod nominibus etiam disſident,non eſſe ab eodem æternæ lucis fontę oriundos exiſtimemus. Suos igitur limites, ſuam poſſeſſionem retineat naturæ operum inueſtigatio,ac pertractatio: Ab hac vero diuortium fecerit, Diuinarũ rerum contemplatio: Seorſum ſe quaſi intra Humanorum corporum ſepta receperit, quæ eorum valetudinis aut tuendæ, aut reſtituendæ ſcientiam profitetur. Vrbium etiam atq: oppidorum ſe mœnib. ciuilis pontificiiq: iuris prudẽtiã intercluſerit: dum ſe germanas ſorores eſſe, atq: ab eadem ſe humanitate in lucem editas ſciant: dum ſibi cum opus ſit,viciſsim opem ferant, dum ſi non ſæpisſime, at nonnunquam, quemadmodum in medio ſaltem mari diuerſa,ſed indidem orta flumina, & hæ in vnũ conueniant.Eſt.n.ita comparatum, vt quib.rebus idem ſit ortus, eæ ſe res vltro citroq: data,& accepta vi ſe contineant, & veluti mutuis fulciant adminiculis. Neq: enim eſt in elementis, in iis quos paulo ante diximus igneis orbib. in humani corporis ſenſib.in eiuſdẽ etiã corporis quib. vita alitur humoribus,in

omnib.

omnibus denique idem quæ ſub genus cadunt, mutuus quidam niſus,& non eſt ſuus quaſi cœtus,liberalibus ſtudiis inter ſe,ac certa ad humanitatis orbē perficiendum cōſpiratio. Atqui veteres illi qui ſapientia cæteris præſtiterunt, tantam inter diſciplinas coniunctionem eſſe putarunt, vt nihil ſe omnino egiſſe crederent, niſi eſſent omnem omnium rerum,quæ ad humanitatem pertinerent,ſcientiam complexi. Quod enim harū artium genus aut Homerū latuiſſe videri poteſt? vt à ſummo,& antiquiſſimo omnis ſapiētiæ duce,& auctore initium faciā. Quam ſcientiæ partem diuini homines Socrates,& Pythagoras animo,ac memoria non continuerunt? Quid tam ſubtile aut obſcurum, aut tam retruſum ac reconditum in ſtudiis fuit,quod Plato,& Ariſtoteles non inueſtigarint,non eruerint,nō illuſtrarint? Ac ne multos nominem, neue noſtros prætereiam, quam non fuerunt,cum Cicero, tum Maro inſtructi & ornati intelligendi,ac dicendi facultate? Dicet aliquis:quid tu igitur diſciplinas omnes perdiſcendas cenſes? Non eſt hæc mihi nunc diſputatio inſtituta:Nihil ego vobis Auditores plus oratione mea in præſentia oneris impono, quam veſtrum quiſq: aut poſſit, aut velit ſuſtinere. Demus aliquid ætatis noſtræ moribus: Demus parentum ac præcepto rum noſtrorum conſiliis: Demus quæſtui: Demus

etiam

etiam (si placet) voluptatibus ac deliciis: Deligat sibi quisq: vnũ aliquod,& solum, cui se dedat,quod sectetur,quod colat,quod arctissime complectatur, studiorum genus:Dum illud sciat humanitatis partẽ esse:Neq: in hoc liberaliũ artium conuentu,vllam facultatem tractari posse,quæ ab vna & eadem humanitatis radice se non profuderit. Quæ.n.per DEOS immortales,ad humanitatem sapientiæ pars,quæ in diuinarum,aut humanarũ rerum cognitione posita sit,non referatur? cum earum omniũ nulla inueniri possit,quam hominum ratio non conceperit, non pepererit,non propagauerit? Quod si nihil suũ magis est hominis, quam ratio, neq: quidquam est humanitas aliud,quam quod homini est priuatim à natura tributum:An obsecro, cum ratione humanitatem sempiterno quodam(vt ita dixerim) nodo connectemus? scientias vero vllas,quas sine ratione nullas omnino esse necesse est,ab humanitate separabimus? Quin sua potius maneat Disciplinis omnibus cum humanitate coniunctio: Neque pudeat quenquam se humanitatis studiosum profiteri: Nisi quẽ forte mutam potius pecudem,quam homiuẽ se natum esse pœniteat. Age vero quoniã disciplinas studiaque omnia, in humanitatis quasi ius vindicauimus,an cum humanitatis qualibet parte eloquentia coniungenda copnlandaq: sit, nihilò longius, quam

vt tem-

vt temporis, voluntatisq: vestræ ratio habita videri possit, cõsideremus. Illud quidem nemini non liquido constat, nihil totum aut perfectum appellari posse, cui pars aliqua earum partium ex quib. constat, defuerit: neq: enim aut animam tantum, aut sine anima corpus hominem dixeris: neq: rursus, aut animam, aut corpus appellaris: si res vlla absuerit, quib. ex rebus, vel corpus, vel anima constituitur. Hoc posito, & quasi quodam huius institutæ disputationis fundamento iacto, & illud concedatur necesse est: humanitatem ipsam quam hominis proprium esse munus ostẽdimus, nullo pacto integram aut perfectam haberi posse: quoties absuerit ab ea, earum aliqua ex quibus perficitur pars. Atqui partium aliæ quidem summæ & Principes sunt: aliæ succedentes, & quæ non alieno nomine particulæ nuncupẽtur, & dispari sane inter se sunt ad res perficiendas momento: cum vt vna de his plerunq: desit, reliquum tamen quidquid illud est, à toto non longissime discedat, sed quasi articulo vno imperfectius sit: Fac itẽ ex maximis aliquà partibus, & quasi membrum desit, tam longe à perfecti forma id cadere animaduertas: vt nec facie, nec nomine, id quod esse debuit, videri amplius possit. Spero rationes hasce meas non modo quod vestrum est acumen, intelligi: sed pro sua etiam veritate vobis probari.

bari. Quis.n.id non perspiciat, & simul verissimum putet? nõ protinus vt nascenti alicui, corporis particula quæuis & quasi articulus desit, humanæ illũ figuræ aut formam, aut nomen amittere: A quo vero summarum quælibet partium absit, vti crura, caput, aut brachia, iam monstrum potius, & deportandum quidem, quam hominem eum aut haberi, aut appellari debere. Quod si confiteamur: iam illud qui negare poterimus, cum humanitatis duas esse principes partes ostenderimus, rationem.s. & orationẽ, ac omnis quidem disciplinas rationi subiici, vt orationi eloquentiam oporteat: vt vna & altera etiam disciplinarum, non fuerit ingenio & scientia compræhensa, non continuo imperfectissimam humanitatẽ ipsam videri posse: vbi oratio non accesserit, statim humanitatem non mancam modo, sed dimidia etiam sui parte carentem, infirmam, debilem atque imbecillam, neq: nominis, neq: iuris sui totius compotem iacere, intermori, atq: alterius sui partis quasi desiderio contabescere. Atq: hanc quidẽ maxime naturalem cum ratione orationis coniunctionẽ, vel ex eo facillime colligas, quod vtriq: naturæ muneri idem Græci, & cõmune nomen, nostri vero maiores paululum admodũ, atq: adeo vna tantũ litera apposita diuersum attribuerunt. Sed quid in re perspicua immoramur? Quis.n. illud nõ intelligat: nisi dicen-

do animi ſenſa(quod orationis eſt proprium)exprimantur,non modo ieiunam, & mutam rationem fore,ſed nihil etiã per eam, neq: docendo,neq: præcipiẽdo,homines hominib.profuturos,nihil à cognoſcendi atq: inueſtigandi ſtudio,ad agendi ſolertiam, quo cognitionem omnem natura referri voluit, collaturos.At nõ deſunt fortaſſe iã aliqui:qui vt orationem cum ſcientiarum ſtudiis connexã eſſe non inficientur:eloquentiã tamẽ ipſam.ſ.apte,diſtincte,grauiter,& copioſe dicẽdi facultatem,nihil omnino ad ſcientias attinere exiſtiment:Satis.n.eſſe ſi quidquid dici oporteat, ad Auditorum aures quouis dicendi genere perferatur.At.n.cum ambæ hæ partes nõ ſorores modo Germanæ,ſed geminæ etiã ſint,eaſq: pariter adoleſcere videamus:ſi natiua illa & ſimplici ratione cõtenti ſumus,iure etiã omnẽ in excolẽda, & ornanda oratione induſtriã repudiabimus.Sin aliud atq: aliud amplificandæ rationis cauſa ſtudiorum genus exquirimus, quo demum merito in orationem adeo iniqui ſumus, vt nullo eam ſtudio, nulla arte, nulla diligentia,cultuq: noſtro dignam arbitremur? An non ſua eſſe debet,inter cognatas res conuenientia? Quid igitur? creſcente in dies hominis corpore,ſi ſenſus,ſi cogitatio eadem ſemper fuerit,atq: in eodem ſtatu permanſerit,hominẽ eum putabimus? Sin in ipſo corpore,reliquis membris creſcentibus vnum aliquod tantillum ſemper fuerit, ac in recens

nato

nato esse solet, non monstrum illud esse existimabimus? Si ipsius(vt ita dicam)infantiæ oratio, ad rerũ cognitionem non ætate modo, sed doctrina etiam ac literis auctam adiungatur, poterit vlla videri in his conueniẽtiæ habita ratio? Tu de maximis plerũq: & obscurissimis reb. tibi agendũ putes: Tu aut cœlestium terrenarũq: omnium rerũ vim. s. ipsam naturæ obscuritatẽ, aut humani diuiniq: iuris prudentiã tractes: Tu humani corporis atq: animi habitũ, motusq: omnis dicendo persequare: Tu cogitationes deniq: tuas aut literis mandes, aut in magno plerunq: hominum cõuentu viua(vt aiunt)voce pronuncies: & ea de quib. disputatio fuerit suscepta, non modo nõ ornare, aut illustrare, sed ne explanare quidẽ, aut puris propriisq: verbis explicare, eos vero qui ad audiendum conueniant, non modo delectatione nõ allicere, & orationis iocũditate detinere, sed ne plane quidem, ac dilucide docere possis? O Hominẽ vt maximi dicendi, atque intelligendi auctoris verbis vtar) intemperanter abutentem & otio, & literis. At non sic veteres illi, qui doctrinarum genus omne cum perspectum, exploratum ac cognitum haberent, literarum etiam monimentis sibi mandandum censuerunt: non sic inquam illi studia sua instituerunt: vt res scilicet ipsas percepisse sibi satis putarent: orationis vero cultum, & decorem negligerent.

An poſſumus vnum ex omni eorũ numero nominare, qui vllam ſcientiæ partẽ ſtylo, ac literis pertractauerit: quin eam ſibi & verborum delectu, & quoties res ipſa pateretur, dicendi etiam inſignibus, & quaſi luminibus diſtinguendam, ornandã, ac honeſtãdam non putarit? Mitto Oratores, ac Poetas, quorum in hac parte præcipua quædam, & maxime perſpicua eſt gloria: mitto eos quorum nobis monimenta aut vetuſtas, aut temporum potius iniquitas eripuit. Eorum maxime exemplis vti libet: qui & ſcientiarũ nominantur Autores, quorumq; ſcripta nobis teſtimonio eſſe poſsint: facultatum eos ſuarum ſibi ſociam eloquentiam cooptaſſe. Quis horum vobis orationis aut copia, aut grauitate caruiſſe iure videri poteſt? Num fortaſſe Deus ille omnis Philoſophiæ Plato? Atqui eius lingua Iouẽ ipſum ſi Attice loqueretur, vſurũ fuiſſe vetuſtas credidit. Num Ariſtoteles? at is in qua ſemper locorũ obſcuritate verſatur, aureũ orationis flumen meruit appellari. Num Theophraſtus? at.n. hic ſibi ab eloquẽdi diuinitate nomen inuenit. De noſtris vero quorũ eſſe poteſt, hoc præſertim in loco, quã veterũ Iuriſconſultorũ amplior auctoritas? & hi quidã in illa ſua breuitate, cum verborũ prope numerum ſcientiarũ numero conſequãtur, quantã in deligendis cõnectendiſq; verbis curã, Quantũ etiã elegantiæ ſtudium præ ſe tulerunt? An

non

non hi, horumq: similes quam plurimi sanctissimas disciplinas excoluerunt, ornarunt, illustrarunt? cæteri vero qui barbare, qui ieiune, qui inepte, qui putide etiam de maximis rebus, aut scribere, aut loqui nihil veriti sunt, eas ipsas res non fœdarunt, non obscurarunt, non quasi impuris contaminatisq: manibus sacra DEORVM immortalium attrectarunt? Ostendi Auditores, quod initio proposueram: quando humanitas ipsa id ipsum sit, quod hominis proprium natura esse voluit: eius duæ sint partes, ratio & oratio, & vno de rationis fonte omnes disciplinæ studiaq: omnia profluxerit, quidquid illud sit, quod nobis discendum, cognoscendumq: existimemus, humanitatis vnius sinu contineri: neque vllam posse liberalis iustitutionis partem ab humanitate separari. Ostendi etiam humanitatem non esse protinus imperfectissimam: vt ab ea de scientiarum numero aliqua, tanquam articulus quidam absit: Vbi vero oratio non accesserit, altera sui parte, ac dimidio ipso imperfectiorem esse. Ostendi orationem ipsam cum ratione augeri vnà & coalescere oportere. Ostendi postremo res eas omnes, quas cũ aliis communicari, aut dicendo, aut scribendo opus sit, sine orationis copia & elegantia, omni gratia, omni luce carere. Quid nunc aliud restat? Vt vos animo meo carissimi Auditores, non modo horter, sed obsecrẽ

etiam

etiam atq; obtester: primum vt in ea ſtudia atq: in eam humanitatis partem, in qua nunc eſtis, ſedulo ac diligenter incumbatis: deinde vero vt eloquentiam conſiliorum omnium,& cogitationum comitem,ſcientiarum ornatricem, maximarum domi ſoriſq: rerum effectricem, magno ſtudio, animique veſtri contentione complectamini. Huic temporis veſtri,Huic curæ,Huic vigiliarum,ac laborum etiã veſtrorum bonam,& æqualem partem trãſmittatis: Quod equidem facturos vos nihil dubito: ſi illud vob.ratio ipſa perſuaſerit: veſtrarum cuilibet diſciplinarum,ſine eloquentia nõ vocem modo,ſed ſpiritum etiam ipſum defuturum. Magna ſunt in vobis ad hanc comparandam ingenii: magna reliquarum facultatum præſidia:Præceptorum copia,quanta in ampliſsima,ac florentiſsima ciuitate eſſe poſſit.De mea vero in vos fide,& officio nihil dico,qui cum à vobis lucem acceperim, meumque à vobis, quantumcunque illud ſit, nomen emanarit,ſine ſcelere ſtudiis,ac voluntatibus veſtris deeſſe nullo pacto poſsim. Dixi.

RO-

ROMVLI AMASAEI ORATIO QVA AVDITORES AD ELOQVENTIÆ STVDIVM HORTATVR.

QVOD semper optauimus, sperare vix vnq̃ ausi sumus, in magna totius Italiæ tranquillitate, Scholar. aud. intermissam cõsuetudinem reuocamus. Effulsit tandem, & emicuit è densiss. turbulentissimar. tẽpestatum tenebris, ocii & securitatis Lux: Restinctis odior. inter summos Christianæ reip. Principes, ac dissensionum causis, omnes ciuilium bellor. reliquiæ sublatæ, atq: abolitæ: & quasi perniciosarũ propaginum stirpes radicitus euulsæ. Atq: vt hic tam insperatus, tam optatus, tam faustus deniq: & salutaris euentus, incredibilem cunctis Europæ gentib. ac nationib. & inusitatam lætitiam apportarit: præcipuum tamẽ & singularem vester iste nobilissimi Iuuenes, ornatissimus ordo, è tãta huius temporis felicitate fructũ capere debere, iure optimo videatur. Nam si ante hac armor. horribiles fremitus, & perpetui belli infestissimi motus, & ea quæ cum bello suapte natura coniuncta sunt mala, Vrbium direptiones, agrorum calamitates, pestilentium morborum lues, animos vestros in his ipsis plerunque studiorum solemnibus exordiis, pa-

uore

uore & trepidatione complebant: Et aduerſorum caſuum vel iam præſentium impetus, vel impendentium metus à cotidinar. vos exercitationum curriculo auertebant: Eumque, quem è ſua veſtrum quiſq: patria attulerat, diſcendi ardorem reſtinguebat: Nunc cum aureæ huius & auguſtæ pacis bonis, non ea tantum quib. natura ſenſum dedit: Sed ipſa etiam mediusfidius tecta, atq: agri lætentur: decet profecto & eor. vnumquenq: quib. optata hæc pax obtigit: ingentes largitori atq: effectori bonor. omnium DEO, & huius tanti, ac tam proſperi ſucceſſus auſpicibus, ducib. auctorib. gratias habere. Et vos Aud. hoc diuina vob. veluti virgula ſuppeditato ocio, ſtudiis veſtris non tam cupide repetendis, quam conſtanter retinendis, in ſumma annonæ vbertate, cœli temperatione ac ſalubritate, rer. omnium, & commodorum, quib. inſtitutæ vitæ vſus non facile poſſit carere, luculentisſima copia, alacri & gaudēti animo perfrui debetis. Atq: ex hodierni quidem diei ad hæc Gymnaſia concurſu, ſpectatam mihi ſæpe veſtrum omnium in rectisſima ſtudia, & honeſtas, atq: ingenuas artes alacritatem facile perſpicio: Veſtrum enim alios ad ciuilis, Pontificiiq: iuris interpretes, honoratisſimos illos quidem, & legū prudētia amplisſimos viros, ad Philoſophum alios, Multos ad Medicinæ magiſtros & doctores magno

agni-

agmine,& cnm magna proficiendi ſpe video aduolare:Et profecto tantum abeſt, vt eorum cuiquam hanc frequentiam,& celebritatem inuideam: vt merito hunc illis honorem haberi confitear: Quippe qui & doctrinæ laude,& laborū ſuorū perquam opimis præmiis illuſtrantur:Vobis vero Auditores pro meo perpetuo in vos officio, ac beneuolentia ex animo gratulor: Quod eas in primis diſciplinas accurate,& ſtudioſe colatis:Quibus maxima,& certiſſima expoſita ſunt ornamenta, vel ad gratiam, vel ad opes,vel ad dignitatem.Non poſſum tamen (ne vos intimos animi mei ſenſus cœlem) non moleſte & indigne ferre.Eorum ſtudiorum è quibus omnis elucet eruditionis elegantia.Quæque omnium ſunt, vti appellantur humanisſima, nullam iam prope,aut omnino paruā rationem haberi: Neque vero hoc ita dictum à me accipi velim: Quaſi me, quanti à vobis fiam pœniteat: de re ipſa ago: Mihi quantum ſit à vobis tribuendum, in veſtro poſitum eſt iudicio. Loci ac dignitatis apud vos aliquid,ſicuti olim conſueuit, habeat humanitas.i.linguæ animique cultus & expolitio: Veſtris Auditor. ingeniis, liberalisſima educatione veſtra longe digniſſima facultas,ac diſciplina. Partem ſibi illa ocii veſtri aliquam vindicet. Facile patiar ſi ita opus fuerit, quantum illi honoris acceſſerit: tantum de

LL mea

mea (quantacunque ea ſit) exiſtimatione detrahi: Eſt vero vna, quæ à vobis vel negligatur, vel repudietur indigniſsima. Nam vt ſacroſancta ſit legũ maieſtas, qua imperandi parendique ſcientia, recti prauique ratio & diſcrimen, agendi, reſpondendi, cauendi peritia, ſacri denique, profanique iuris omnis intelligentia continetur: Emineat inter omnes, vt quæ ex ipſo Iouis vertice prodierit, cauſarum omnium inueſtigatrix, & vitæ moderatrix Philoſophia: Aut integris præſidium, aut affectis opem corporibus, & ſalutem medicina polliceatur: Suis ſe ceteræ artes, ac diſciplinæ efferant dotibus ac ornamentis: Et quæ vniuerſæ, humanitatis vnius omnium parentis, & reginæ chorum, & quaſi orbem conſtituunt: per me tamen in præſentia in ſua abeant diuortia: Suiſque propriis ac certis finibus circunſcribantur: Quid illis tamen impolitius, quid horridius, quid mutum æque aut brutum potius, & inanimum, si orationis excolendæ atque expoliendæ ratio, ac verius vox, ſpiritus, & ſcientiarum omnium mens abſuerit humanitas? Quæ ex eo mihi nomen nacta videtur: quod vna maxime naturam perficiat humanam: eamque à beſtiarum communione ſeiungat, & ſeparet. Ac patrum quidem memoria, Primis etiam publici huius ac laboris mei muneris ac multis deinceps annis,

nis, Nemo loci, ordinisque vestri vel tam potens, & clarus, vel tam tenuis & obscurus fuit: Qui cum suis reliquis studiis præclare agi putaret: nisi ad ea humanitatis nitorem, & eloquentiæ lumen addidisset: Et intemperanter quidem se vnusquisque ocio, & literis abusurum interpretabatur: nisi ab humanitatis thesauris cæteras artis, ac scientias exornandi, atque illustrandi sibi facultatem comparasset. Pulcherrimi itaque liberalium studiorum cōuentus, magno iuuenum vtranque sibi, intelligendi scilicet, & dicendi laudem expetentium numero floruerunt: Qui cum in suas quisq; patrias, emeritorum præmiis decorati reuertissent: per vniuersam Europam eruditionis, facundiæque suæ semina iaciebant. Quo circa illis ipsis temporibus, non vna duntaxat Italia, sed Hispania, Gallia, Germania, Pannonia etiam, & Sarmatia cum multiplici doctrinarum cognitione, tum Latinæ linguæ copia atque elegantia, se prope florentibus eruditione vrbis Romæ ætatibus adæquarunt. Testantur hoc & nostrorum hominum, & exterorum monimēta, tam multa, tamque multis expolita styli ornamentis: vt illorum copiam, & varietatem omnis postera ætas iure admiretur: diligentiam ac studium ne æmulari quidem, ne dum superare, etiam si velis (quod aiunt) equisque certauerit: nullo

vnquam pacto se posse confidat. At enim illa iam optima, & liberalis. quibusque ingeniis aptissima discendi ratio, tantopere obsoleuit: in ipsa præsertim Italia, atque haud scio, an præcipue in Bononiensi hoc conuentu, vt nisi literariam rem ad nimiam iam (dicam enim quod sentio liberius) quæstus cupiditatem prolapsam, ac de veteris dignitatis gradu deturbatam, vestri iuuenes ornatissimi, ingenii ac iudicii bonitas, vestri bene ac præclare instituti animi generosa indoles, in pristinum decus vindicet, ac restituat: nihil est mehercule magis metuendum: quam ne humanitate neglecta, emendate & caste loquendi consuetudine, atque exercitatione sublata, obscurato iam latinæ linguæ splendore, ad Gothici seculi barbariam, & infantiam reuoluamur. Quod eo esset his temporibus fœdius: Quod bonarum literarum, aut in vltimas terras deportatis, aut prorsus deletis monimentis, illis ætatibus venia fuit danda: si cœca inscitiæ, & obliuionis caligine circunfusa, vel hallucinaretur, vel etiam cæcutiret. Nobis, in magna, atque infinita prope optimor. libror. turba, monstrata toties vera, rectaque discendi via, si diutius erremus, aut non primo quoque tempore resipiscamus: Quæ satis probabilis, aut speciosa excusatio relinquatur? Atque ego quidem Aud. sæpe è superiore loco, nonnunquam etiam ex æquo, perpetua

petua oratione, quanti veſtra intereſſe putem: vt noſtratia hæc humanitatis,atque eloquentiæ ſtudia, cum veſtris diſciplinis,ſuccisiuis ſaltem operis coniungatis, diſſerui: cum rerum cognitionem vnam eſſe perfectæ rationis,ideſt humanitatis partem, alteram vero bene diſcendi ſcientiam,quam eloquentiam appellamus,maxime perſpicuis rationibus contendi: & vos quidem ad alterum retinendum, alterum vero ſtudium alacriter capeſſendum, non ſemel ſum adhortatus: Cum mihi perſuaſum illud ſemper habuerim: non fore quenquam eius,quæ in literarum ſtudiis petitur laudis,ſatis plenæ atque integræ compotem:ſi duo illa,& voce, & re coniūctiſſima,rationem,& orationem, quod eſt, ac ſi res & verba dixeris:non ita eſſet complexus: Vt cum alteri curæ,ſtudiiq: ſuæ primas dediſſet:alteram illi neq: ſuperiorem,neque inferiorem, ſed plane agnatam ac Germanam,ſi non pari, at ſaltem aliqua eſſet æſtimatione dignatus. Atq: illud etiam pro virili parte mea elaboraui: vt quam eſſe verisſimam vtriuſq: facultatis coniungendæ,ac copulandæ rationem arbitraret:vobis quam planisſime,quanq: enucleatiſſime exponerem. Neque omnino ante poſtremos hoſce annos operam luſi: multos enim poſſum nominare: Qui vltro,ac minime diſsimulanter,quoddis hominibuſq: approbantib. ſecūdiſsima fama,ad

veræ

veræ, ſolidæque gloriæ portum contendant: meis amantiſsimis, ac fideliſsimis conſiliis acceptum referant. Viuerent vtinam adoleſcentes tres, quorum quam mihi minime vulgares laudes perhonorificæ fuere: Tam per acerba contigit mors, Fauſtinus, Gariſendus, Et qui cum æqualium ſuorum in optimis artibus, ac ſtudiis progreſſus longo interuallo ſuperaſſet: cum ipſa iam antiquitate certabat, Coſmus Gerius Fanenſis Coloniæ Pont. Teſtarentur profecto, ſe eius quam monitu, ſuaſu, hortatuque meo in diſcendo tenuiſſent, viæ nihil omnino pœnitere. Inceſsit paucis ante annis, noſtris adoleſcētibus huius omnium præſtantiſsimæ, ac liberaliſsimæ diſciplinæ faſtidium: Quibus cum̃ citharœdis eſſe modo vt vellent, liceret(Vt in Græcorum eſt vetere prouerbio) aulœdi eſſe malunt. Et cum cæteras artes, vti Penelopes ancillas proci, tanquam amiculas amplexentur, & oſculentur ſuas, Hanc omnium dominam & Reginam, ne à limine quidem (quod aiunt) ſalutant. Quare cum aliarum ſcientiarum profeſſores confertiſs. ſtipent corona, ad hunc, quem quaſi illudentes humaniſtam vocant: aut conſumendi tantum ſuperuanei ocii cauſa ventitant: aut miſerum plerunque vel ſtrepitu obtundunt: vel gannitu, et ſibilis lacerant & conſcidunt. Effecerat Aud. hic ab optima ſtudiorum via deflexus, & multorum quaſi

abor-

aberratio, vt ipse à proprio muneris mei opere digrediens, mihi diuerticula quærerem: Et in Philosophiæ gremio conquiescens, grauissimis eius locis tractandis, qui ante Rhetorum tautum libros ex hoc loco prælegendos vsurpassem, aliquid audere conarer: Et eo maxime consilio, vt Ciceronis consilio proposito, ostenderē cotidianis meis auditoribus, ipsam etiam Philosophiam posse, quod vix & spisse, & à paucis ingenio, & dicēdi copia præstantibus viris animaduersum est, non balbutire, non barbare loqui. Quod ipsum cum hoc ipso etiam anno molirer: extiterunt optimarum literarum studiosissimi aliquot adolescentes, qui me facile, aliquid sibi efflagitantes de dicendi ratione explicari, pro meo optimo cuique obtemperandi perpetuo studio, in Rhetor. scholas reuocarunt. E tribus itaque nobilibus illis, & plane diuinis ciceronis de oratore libris, eloquētiæ copias auditoribus meis exponendas suscepi: Neque vero me ab eorū lectione deterruit, quod æqualis & necessarius meus, & cotidiani huiusce laboris consors, vir longe disertissimus atq; eruditissimus Achilles Bocchius, iam per duos superiores, vnum & alterum prælegerit, & hoc anno ad tertium sit aggressurus. Nam & si Cramben repetitam occidere, vetus est Græcor. verbum. De olere quidem quod recoctum Nauseam ciere dicitur, id

tur, id dictum esse mirum videri non debet. Pulcherrimarum certe & optimar. quarumq; rerum, cuiusmodi hi libri sunt, nullam esse satietatem dixit Plato: Et multos nouos video conuenisse huc auditores: qui illum certe audire non potuerunt. Quod vero & ipse eodem sit tempore tertium pertractaturus, Commode hoc quidem ceciderit: vt quo semper fuimus animor. in omnibus vitæ partibus consensu: eodem ad restituendam, ac tuendam eloquentiæ dignitatem vtamur: Et pari, vti de Vlysse & Diomede à poeta dictum est, contendentes gressu, ex iisdem fontibus, ad ingenia vestra irriganda, grauiter, copiose, distincte & ornate dicendi præcepta hauriamus. Atque ego quidem Aud. nihil impensius cupio: quando hæc mihi (vt dicitur) Sparta quam ornarem, obtigit: cum facile futurum sit, vt pacatis & tranquillis temporibus multæ, & ad vitam honeste, ac præclare degendam accommodate artes, non modo in dies excitentur, & reuiuiscant: Sed efferant se etiam, & ostentēt: nihil inquam vehementius opto: quam ingenuas, & libero homine dignissimas disciplinas barbarie, situ, & squallore deterso, ad illud priscum decus reuocari, quo peruenerant tenente Rom. Imperii gubernacula Augusto Cæsare, vt hæc ipsa pax quæ à trib. maximis capitib. Christianæ reip. accersita, per omnia se Europæ membra diffudit:

fudit:

fudit:cum cæteris pacis commodis,tum vero honestissimorum studiorum celebritate merito possit, cum illa, quæ Octauiani fuit temporibus,pace comparari. Quod ego ab hinc nonum ferme annum, cum in magno summorum principum conuentu Clemente . VII. Pont. Max. & Carolo . V. Cæsare Imperatore Augusto audientibus, illius diei pacem perpetua oratione ad aras,& sacrosancta DEI ac Diuorum puluinaria exornarem: me totidem ferme verb. augurari memini. O faustam,& diu optatam pacem,per quam non sensu tantum,& voluntate cõiungimur: sed respiramus etiam,ac reuiuiscimus.Et quales iam constitutæ, & confirmatæ fructus futuros existimamus,cuius tam fuerit ipsa spes salutaris? Quid,quod non salutem tantum, & perpetuam à molestiis vacationem,sed felicitatem etiam, ac certissimam hodierna pax nobis gloriam pollicetur? Mitto perspicua illa,& quæ pacem semper, non aliter quam vmbra corpus bona consectantur, tranquillam ciuitatum libertatẽ, Agrorum vbertatem, sobolis propagationem, libera ac tuta populorum commercia:Mitto quod,quæ bellicis furoribus perculsa,ac prostrata iacebant,se efferent & erigent literarum,atque ingenuarum artium studia: Quorum est cultus, & bene constitutis ciuitatibus,& optimo cuique principi,maxime honestus,& necessarius.Ac

vige bit pacis comes,ociique ſocia eloquentia.Hæc ego tunc pacis natura,& vi fretus,& mihi ipſi,& amplisſimæ illi concioni ſum pollicitus. Nunc vero in hac tanto firmiore quam illa fuit,& auſpicatiore pace, Ne mea quenquam de pacis fructibus oratio fefelliſſe videri poſsit, Principum bonitas (vt ſpero) & ad meliora conſilia conuerſa mens facile præſtabit. Quod ad cæteras liberales diſciplinas propagandas,atque illuſtrandas pertinet:vt illæ ſumme vi geant & efflorefcant: Doctisſimi, opinor, homines in tota Europa,& humanarum,ac diuinarum rerum ſcientisſimi,omni cura,ſtudio,vigiliis etiam,ac labo re ſuo adnitentur:Neq; vero vel in Italia,vel in prouinciis defuturos credo,grauiſsimos homines,& latinæ græcæque linguæ cognitione præſtantiſsimos: Qui coniungendæ cũ maximis, & pulcherrimis ſtu diis quibuſque eloquentiæ, locupletiſsimi auctores exiſtant.Ipſe quidem ſuſceptas partes,quantum cogitando,& agendo contendere potuero,tuebor ac ſuſtinebo:& nunc maxime iterata,ac repetita priſtina commentandi de dicẽdi ratione,quam certo cõſilio intermiſeram,cõſuetudine,ad hoc vnum opus incumbam:vt qui me,quem audiant & ſectentur,nõ indignum putarint:operam, ſtudium , officiumque meum,ad dicendum ſibi,& ſcribendum ſentiant nõ mediocriter profuiſſe. Verũ enimuero huius quod

nunc instauro operis perficiendi, magna mihi spes Aud. in vestro reposita est consensu, & conspiratione. Vos etenim si me audiendi benignitate, attentione, assiduitate adiuueritis, perficiam profecto, vt vester iste honestissimus conuentus, pro suo iure non nullam possit sibi excitatæ, atque illustratæ eloquētiæ laudem vindicare. Sin à vobis (quod non spero) deserar: animo tamen non deficiam. Et qui scenæ, ac populo minus æquo, ac prope etiam auerso cecinerim, ita mihi & musis canam: vt facile præsentibus, & fortasse etiam posteris testatum relinquam, in bene de vobis, quibus nihil mihi vnquam aut carius fuit, aut honorificentius, merendo, nō voluntatem, non industriam, non diligentiam, sed præclari operis instituti, atque inchoati amatores mihi, socios atque adiutores defuisse.

ROMVLI AMASAEI ORATIO DE TARDIORIS EXORDII SVI CAVSA.

SI quis vestrum Auditores, forte miratur, me qui tot iam annos in hoc exercitationis genere ita sum versatus, vt annuum hoc scholarum munus, quasi certa obstrictus religione nunquam

intermiſerim: Proximo ſuperiore anno ita publicis fuiſſe negociis implicatum, vt veſtro iſto conſeſſu, qui mihi ſemper iucundisſimus fuit, atque honeſtiſſimus, non inuitus videar caruiſſe: Is ſi conſilii mei cauſam, rationemque cognouerit: vnà & facto meo veniã dabit: & quid de meo erga vos animo, ac voluntate ſibi veſtrum quilibet polliceri poſsit, facile intelliget. Ego cum labori meo eum maxime finem propoſitum haberem: vt veſtrum quam plurimi me auctore, ac veluti duce, ad bonarum literarum frugem maturarent: Quantiſper non defuerunt, qui & naturæ ſuæ bonitate, ac præclara indole, & cura induſtriaque mea excitati, quaſi felices ingeniorum plantæ è bene, ac diligenter culto ſeminario ſe efferrent, in officio mihi permanendum ſtatuebam: nuſquam vero diſcedebam; neq: ab iſta celebritate cõuentus veſtri vnquam oculos deiiciebam: Quod .ſ. dum eſſent, quorum ſtudia iuuare, & ornare præſentia, & vox mea poſſet: neque ſilendum, neq: eum ordinem, in quo mea me vel fortuna, vel conſilium collocaſſet, deſerendum putabam. Atque eo quidem tempore, quid in hoc genere profecerim: non pauci hercule, qui vtriuſque linguæ laudem cum in Italia, tum apud exteras gentes non mediocrẽ obtinẽt: ne quid ipſe (quod à natura moribuſq: meis fuit ſemper alienisſimũ) dicere videar de me glorioſius,

facile

facile poſſunt teſtificari. Vbi vero animaduerti, has interiores literas, & hæc noſtratia quæ humanitatis appellantur, ſtudia, minus iam multos eſſe qui colerent: neq: eos ipſos, qui hoc humanius, ac liberalius literarum genus conſectarentur: ſatis eſſe in hoc ſtudiorum, quem ſemel eſſent ingreſſi, curſu retinẽdo conſtantes: ſublata quaſi priſtina illa exercitationis meæ materia, ad aliud (fateor) vitæ genus animũ, & cogitationem cõuerti: Ac qui minus iam haberem, quibus uiua, vt aiunt, voce prodeſſem: ne Siſyphi in poſterum ſaxum verſarem: aut rimoſis doliis aquã haurirẽ: tentandum, atq: experiendum putaui: num quid cogitationibus meis literis, ac ſtylo mandandis, aut ocio operaq: mea minus abuterer: aut id certe iam agerem: in quo multo libentius animus conquieſceret. Illud etiã huc mẽtis meæ propoſitũ impellebat, quod qui in aliquo vel negotii, vel operis genere diu eſſet, multumq: ſatis ſecunda hominum fama verſatus, ſapere is, ac recte rationibus ſuis conſulere videretur: ſi incolumis adhuc ſe ex offenſionum periculis, quaſi ex humanæ vitæ tẽpeſtatibus, in aliquem tranquillitatis portum recepiſſet: cum id quod de tyrãnis, & nauium gubernatoribus Græcorum eſt prouerbio vulgatum, mõſtri ſimile eſſe, ſi ſenectutem attingerẽt: ad eos etiam quodam modo transferri poſſit: cum paria pene ſint, capitis & fa-

mæ periculum,qui quod diu bene egerint,non mature agere desierint. Facile enim apparuit,Cæsarem dictatorem,qui Syllam solitus erat dicere,nesciſſe literas: quod dictatura se abdicaſſet: minus hercule multo quam Syllam ipsum,eadem dictatura perpetuo retenta literatum fuiſſe. His ego rationibus adductus intermittēdi causam,ac veluti quoddam cessandi initium non mediusfidius appetiui:sed ad vacationem,atque ab hoc opere ocium respiciens, ab hoc iam parũ multis fructuoso labore,ab iis in quorum officio ac potestate eſſe debui, me sum facile paſſus auocari.Quid ergo dicet aliquis,istuc denuo aſcendisti, atq: id repetisti munus, quod defugiendi te causam habere putasti? Propterea auditores, quod eosipsos licet paucos, qui sedulo, ac studiose cum mansuetioribus musis rationem haberent: quibus me semper carisſimũ eſſe sensi:non eſſe ope operaq: mea fraudandos duxi:vsq: dum, qui vicem meam hoc ipso docēdi munere fungeretur,certum hominem nanciscerentur.Nam cum suum habeant matutinæ Scholæ,magni illum quidē ingenii,& politisſimæ eruditionis virum, hæc profecto pomeridiana exedra non fuit ante deserenda: quam aliquis existeret:qui vt mihi fide erga vos,& beneuolentia, qua ego certe fui incomparabili, multo eſſet inferior: ingenium tamē,et doctrinam quæ in me fuere minora

minora multo quam mediocria, longe maiorem, ac præstantiorem ad eam tuendam, & ornandam afferret. Quid enim ego tandem dignum loco, dignum auditoribus, dignũ eximia de vobis bene merẽdi voluntate mea potui efficere: cui, à puero ætatis fuit omne tempus, in turbulentisſimis Italiæ tempeſtatibus, ad communium, ad meorũ etiam temporum moleſtias propulſandas cõferendum? Atq: ego quidem auditores, pro eo quo ſemper erga vos incenſus fui amore, nihil vehementius cupio: quam vbi res & tempus tulerit: eum mihi ſuccedere, cuius ingenio, doctrina & copia, iuuenum optimus quiſq: ad rectisſimam viam, ac rationem excitatus, ad vberiorem multo literarum frugem ſe efferat, & efflorescat. Facile enim nomini meo offici patiar: modo vt ſtudiis veſtris, ac ocio meo, cuius ſum mirifica quadam cupiditatę inflammatus, optime conſultũ eatur. Interim vero eo animo ad vos redii, ac rurſus in clariſs. hanc veſtri conſpectus lucem prodii: rurſuſq: me nouorum laborum aleæ commiſi: Vt in eorum, qui hãc ſtudiorum viam tenẽt, ingeniis iuuandis, nullum publici, nullũ priuati officii genus prætermittam: Ac illud vt omni animi contentione enitar, & elaborem: vt longioribus anni ſuperioris intermisſionibus non reſtinctam, ſed incitatã potius priſtinam meã in meditando, & commentando alacritatem

critatem iudicetis. Quo quidem animo vt in præsentia sim: multæ officii mei me rationes adhortantur. Tum illud in primis, quod nisi, qui se bonarum literarum studiosos profitētur: pro sua virili quisq: impendentem ruinam sarciant: Nihil propius vnquam fuit: quam vt intra paucos annos, hanc etiam Rom. Imperii partem, quæ linguæ elegantia, & politiore doctrina continetur: ad exteras iam nationes transferri videamus. Magna est Auditores, ob eas, quibus ætate nostra afflicta est Italia, calamitates, literarum labes facta: Atq: in dies in angustius copiæ nostræ coguntur. Eorum quibus doctrinæ, & eloquentiæ laus merito posit attribui, summa est paucitas: Et ii quidem sunt exacta iam ætate, natu grandiores: Et haud scio an his, deterior multo sit posteritas successura: Cuius rei fuit magna temporum, nōnulla etiam hominum culpa: Quod è doctorum numero, qui ingeniis, & dicendi copia præstiterunt, chartis illi quidem, quod minus necesse fuit: cū non deessent, quos in omni scribēdi genere imitaremur: multa mandarunt: in quo vero natu minorum studiis optime poterant consulere: sibi dicendi totam rationem, quasi mysteriorum sacra abdentes, neminem fere vt ipsi docerent animum induxerūt: Quin & quod discere, & scire præclarum esset, id alios docere à nominis, famæq: suæ dignitate abhorrere putarunt.

tarũt.Quid mirũ igitur cũ defuerint, qui docerent: si iuuenes (vt est procliue omnium hominum genus,ad quæ sibi faciliores,ac paratiores aditus videt) aut ad diuersum literarum genus, aut ad voluptatẽ à labore & virtute diuerterũt?Eam certe reip.partẽ, quæ in bellicis studiis,quæ in ĩperii magnitudine ac maiestate posita fuit,iã pridẽ amisimus:literarũ sibi principatũ pro suo iure adhuc Italia vindicauit.Sed quo labi res cæperit & inclinare, facile auditores videtis.Qui quo studio,qua fide,qua ratiõe opus sit, humaniores literas doceãt, tres aut ad summũ quatuor in tota Italia reliqui sunt.Neq: his tamẽ pro meritis honores habẽtur:aut satis digna præclara volũtate & labore præmia deferũtur. Cũ in vnica quidẽ hac ciuitate decem ferè,qui nobis pueris græcas,& latinas literas magna cum laude docerent, numerarentur.Iam vero qui discere aueãt,nõ multo plures censẽntur:vnus & alter doctrina,& ingenio excellẽtes,in pingui & alto ocio senescẽtes,sibi(quod aiũt) & musis canũt.Librariorũ iam ipsæ officinæ in Italia clausæ.Qui multa sciant:qui non pauciora scribant: qui sedulo ac diligenter doceant: qui studiose,& vigilanter discant:exiguus ex Italia numerus,ipsæ (vt ita dixerim) legiones ex Germania, Gallia, Britannia proferuntur. Illic veterum monimenta ad perpetuitatem in multa descripta exemplaria

propagantur: Illic iam nouis vtraq: lingua, in omni disciplinarum genere lucubrationibus ornatur, & illustratur: Cunctamur interea nos: desidia ac socordia obtorpescimus: Neq: à longo, quo iam pridem oppressi ac sepulti sumus, quasi veterno excitamur: Et speramus adhuc futuram diu penes nos literarũ patritã, & auitam gloriam? Est ita mediusfidius natura cõparatum, vt desidum & cessãtium præmia, & honores, gnaui & industrii sibi homines occupẽt: Quod nisi in hãc laudis, dignitatisq: nostræ reuocandæ curam omni studio, atq; alacritate primo quoq: tempore incũbimus, quorsum euasura sit hæc altera reip. pars, quis in reb. prouidẽdis tã hebes, aut tardus est, quin facile ĩtelligat? Sed per Deũ Diuosq: dũ spei, & quasi in ægroto corpore aliquid etiamnũ animæ superest, inuigilemus: cõtendamus: ne à maiorũ nostrorum, qui nobis literariam remp. tã florentem reliquerũt, virtute desciuisse videamur. Quod si rei strenue, & gnauiter gerendæ tempus prætermiserimus, tum cũ erit omnis cura, & studiũ inane, occupata iã quacũq: ab exteris nationibus Imperii parte, quid obsecro reliquum erit, nisi vt segnitiæ nos nostræ peniteat: nisi vt solitudinis, ac veluti orbitatis nos nostræ pudeat: nisi vt fuisse nos ornamentis omnibus, atq: omni in posterũ laudis spe spoliatos, perpetuo doleamus? Exposui vobis auditores intermis-

ſionis,ac reditus ad vos mei cauſam:Et quo me,quo vos etiam,in ſtudiis recolēdis animo eſſe debere pu tem,oſtendi. Reliquum eſt,vt ad ea,quæ ſunt cotidianæ operæ meæ adiunctiora,accedam. Vos fortui tam hanc,& ſubitam orationem meam,aut minime apparatum potius ſermonem boni cōſulite: Ac me hoc anno non proludendo, ſed cotidie diligēter, & accurate commentando, vobis operā,fidemq: meā probare,& lucē potius è fumo vt inquit poeta, quā è fulgore fumum dare voluiſſe exiſtimate.

ROMVLI AMASAEI ORATIO QVA GREGORII PATRIS OBITVM DEPLORAT.

ATTVLISTIS Aud. Nobiliſsimi ac optimarum quarūq: artiū ſtudioſisſimi iuuenes,attuliſtis,quantum mihi ora, vultus,oculiq: veſtri ſignificāt,priſtinam ad iſta ſubſellia audiēdi alacritatem, priſtinam anniuerſariarum proluſionum mearum expectationē:At ego huius,haud ſcio an fatalis mihi anni,multis & grauibus perculſus iniuriis ad hanc exedram, ad hoc Muſarum ſacrarium, hunc.ſ.frequentiſs. & ornatiſs.conſpectum,conſeſſumq: veſtrum, nō priſtinam in meditando ſpiritus, atque animi contentionem, non eandem vocis, & laterum in agendo

firmitatem afferre potui. Equidem aud. me nullo vnquam tempore eum esse putaui: qui vel ingenio, vel dicendi copia, vel vlla magnarum artium facultate è castissimis auribus, atque integerrimis iudiciis vestris gratiam vel minorem quàm mediocrē, inire me posse confidere deberem. Illud certe & fidenter, & vere sum professus: Me vnum eum esse, Qui quantum studio & industria, quantum cura, cogitatione, labore deniq: ac vigiliis consequi possem: sedulo atq: enixe contenderim: Vt & primæ ad annuum munus meum ingressiones, neq: indiligenter, neq: inelaborate à me susceptæ videri possent: & reliquæ cotidianarum scholarum commentationes, ab ipsa illa initiorum apparatione non dissiderent: Quod siquam officiosi labores, & lucubrationes meæ, dictionis meæ vobis quanti eacunq: sit facienda, expectationem commorunt: Id ego nulli insignioris laudis meæ merito, Sed vnis meis vobis perpetuo placendi, meæque omnia studia, & actiones sensibus vestris probandi conatibus datum agnoui. Animaduertistis enim Auditores. (opinor) ac grato etiam fortasse (vti par fuit) animo accepistis, & alias semper, & in his maxime exordiendi operis mei quasi quibusdam auspiciis, existimationis meæ me in eo, quod vobis de me sentiendum, ac iudicandum reliquissem, spem prope totam

totam repositam habuisse. Id ego & si fastidiose pene, & cum quadam etiam animi solicitudine feci: certa tamen, & maxime probabili mihi videor ratione fecisse: Quorum enim ego iudicia vereri, aut quorum tandem mihi opinionem æquam, & secundam exoptare debui: si vos ego lectissimos ex Italia, & vniuersa Europa adolescentes, omnes ad vnum literis imbutos, omnes ferme discendi cupidos, multos omni humanitatis genere, quod est omni ingenuarum disciplinarum, & pulcherrimarum artium elegantia institutos, atque expolitos non magnifecerim, non quam maxime de me bene sentientes hinc dimittere studuerim? Tulit vel vitæ meæ ratio, vel temporum conditio, vt è superiore loco mihi nō semel, in amplissimis orbis terræ conuentibus dicēdum fuerit. Paucos illic ego oculis, & tacita cogitatione notaui: quorum mihi latine præsertim dicere aut volenti, aut certe conanti foret iudiciis seruiendum. At in ista vestra multo florentissima sessione, neminem omnino vnum mihi persuasum habeo, mōstrari, describiue posse: Qui & quæ recta in dicente sint, non videat, & verbor. ac sentētiar. offensionibus nō cōmoueatur. Quod si illa ingenii, doctrinæ, eloquētiæ lumina, Pericles, Demosthenes, Aeschines, Athen. orat. de nostris verò L. Crassus, M. Ant. Et ipse omnium instar, M. Tullius quod

quod ipſorum declarant orationes, quodque ex iis ſcriptor.monimentis cognouimus: per quæ eorum hominum acta memoriæ prodita ſunt: nunquam ni ſi ſumpto ad cogitandum ſpacio paratiſs.& maxime meditati dicere auſi ſunt:cum plerunque tamen ad populum,ad imperitam.ſ.magna ex parte opificum multitudinem,& ruſticam plebem dicendum eſſet: Quid curæ,quid negocii,quid ſolicitudinis deniq: ſuſcipere debui,homo ne cum mediocribus quidẽ fortaſſe ordinis,& ætatis meæ hominibus conferendus,quoties in iſtam clarisſimam ſcholarum lucem, quem ego ſemper doctrinarum cætum,& literarum omnium chorum quaſi quendã eſſe duxi,commentandi, atque interpretandi initium facturus acceſſi? Fateor ante hac me Aud. nunquã huc niſi paratisſimum conſcẽdiſſe:Fateor,ne cum paratisſimum quidem eſſe me ſenſi, pro ſumma,ac ſingulari quadam de veſtra eruditione, veſtriſque iudiciis opinione mea,vllam tamen vel confidentiam,vel ſecuritatem præ me ferre auſum eſſe: Detrahent qui volent, de mei vel viuentis,vel vitæ iam munerib. perfuncti ingenii celeritate,Facundiæ,ac doctrinæ copia,ac quãtum volent impune, ac non fortaſsis immerito detrahent. Cui vita, cui interior conſuetudo ſtudior. meor. familiarius nota fuerit:is laborem, induſtriã, vigilantiam, in hac operis inſtaurandi meditatione

neu-

neutiquam iure desiderarit: Dixi Aud. non minus ingenue quam breuiter, quam meditatus, quam paratus, superioribus omnibus annis hanc scholarũ consuetudinem referre, ac repetere solenne habuerim. Iam vero cum spiritum, cuius à morbo vsus mihi relictus est exilior, pauxillulum collegero: Sinite obsecro me eos, qui in fortunam, & valetudinem meam proximis hisce superioribus mensibus incurrerunt casus, ex quibus mihi omnis erepta est pristinæ meditationis facultas, in sinu veluti vestro, quo minus miremini, si tam parum vestræ expectationi respondeo, paucis lamentari. Patrem primum subita, atque inopinata morbi vi oppressum amisi: grandi illum sane natu: Quippe qui ne iuuenis quidem filii pater esset: Sed & prisca plane fide & probitate, & iuuenili prope corporis robore senem: qui cum ad ciuilis Pontificiique iuris prudentiam, omnium literarum, ac disciplinarum acerrimum studium adiunxisset: Quod eius aliquando vigiliæ planum facient: facile perfecit, vt qui dum vixit, pene latuit, posteris quantauis luce, ac nominis celebritate dignissimus fuisse videri possit: Commouit eius me obitus vehementius fortasse, quam hominis debuisset: qui satis iam diu cum laude vixisset: sed pietas, sed illius viri haudquaquam vulgarium virtutũ recordatio, vim quasi rationi afferentes, animum identidem ad

luctum

luctum reuocabant:& sane non magis ego parentē, & eūdem mihi vitæ magistrum, ac literarum docto rem luxi: Quam vniuersa illa eius, mea etiam natalis patria, viri consilio magnis sæpe periculis explicita, cupisse se immortalem illum esse, si fieri potuisset, publico mœrore testata est. Accepto de patris nuncio, cum magnis itineribus, seriusquā oportuisset ta men illuc contendissem: offendi quæ ex re familiari agi, ferri, ac rapi potuerant, ab infidelibus propinquis, ac domesticis distracta omia ac dissipata: Quo circa filium latinæ Græcæque linguæ iam laude florentem, & in hoc ipso scholastico munere nō inexercitatum, quique tanquam Hercules Atlantem, in grauescentem iam ætatem meam onere leuare, & valetudinis meæ damna sarcire poterat: Illum ego ad colligendas quasi naufragii reliquias, haud scio an magis inuitus, quam volens reliqui. Non abducebant tamen Aud. priuata me hæc, aut incommoda aut infortunia, à solenni hoc, quod semper cum recte valui, libentissime vsurpaui, & vestris destinato studiis opere: Neque enim mihi commitendum vnquam duxi: vt priuatæ vllius rei causa publici officii intermissionem facerē. Sed quæ consecuta sunt, eiusmodi profecto fuerunt: vt facile apud vos animosque vestros, & meam hanc in exordiendo cunctationem, & ipsam tam imparati exordii siccitatem

& vt

&(vt ita dixerim)ieiunitatē purgare,& excuſare poſ ſe videantur: Nam cum equi quo vehebar,lapſu pro pe exanimatus, pedem alterum tam grauiter offenderim: vt nullis medicorum auxiliis ita malum leuari potuerit: Quin adhuc plurimum agilitatē in motu, & in greſſu celeritatem priſtinam deſiderem:Facile patiebar, vel pede eſſe me altero debiliorem, modo vt eæ corporis partes eſſent incolumes: quæ menti proximiores eius internunciæ ſunt,& adminiſtræ:Hic vel fortuna, vel Nemeſis mea valetudinem infenſior eſt adorta: morbo.ſ. eo iniecto, quo cum laterum infirmitate, vitæ etiam ipſius periculo,ſpiritus, ac vocis itinera obſtruerentur, ægrum me lectulus eos ipſos dies detinuit: quorū partim in proluſionum,& commētationum meditatione,partim in cotidiana huiuſce muneris exercitatione fuerant conſumendi. Qua igitur ratione,neq: dum mediocriter valens, aut confirmatus,veſtram Aud. vel tenuisſimam expectationem ſuſtinere me poſſe confidam? Ecquanam tandem fretus ſpe annui laboris curriculum ingredior? Diuina primum ope, quæ nunquam recta, atque honeſta molientibus defuit: Veſtra deinde lectisſimi, ac nobilisſimi iuuenes æquitate.Satis mihi habeo perſuaſum:non eſſe vos ab homine ſi non affectæ, ſuſpectæ tamen valetudinis, integrorū,atq: optime valentium munia exacturos.

Faxit Deus, mihi hanc veniam detis: vt per silẽtium, per attentionem vestrã remissioribus quasi modis vobiscum agere liceat. Non desinam cogitare atque experiri: qui possim efficere: vt hæc mea sedata & veluti stataria dictio, hæc iam propemodum canescens opera, hæc non optime valentis hominis vocula, non minorem, quam quantæuis superiorum annorum concitationes meæ fructum vobis afferant. Quod si vel veteris peruicacia, vel nouæ me vis aliqua ægritudinis perculerit: tunc planissime omnes intelligent: non fide me, non studio, non officio, bene de vobis mereri conantem, sed corporis viribus, quas nemo sibi præstare posit, corruisse. Dixi.

ROMVLI AMASAEI ORATIO DE TRADVCENDA ÆTATE IN OPTIMARVM ARTIVM STVDIIS.

CVM à primis ineuntis àdolescentiæ meæ annis, ad vestra Auditores, studia excitanda atq: informanda, operam, industriamque meam omnem contulissem: in harum cotidianarũ prope exercitationum curriculo, ad hunc vsq: inclinantis iam pene ætatis deflexum, tanta cum animi alacritate sum versatus: Vt non modo vitæ diuersam rationem

nem mihi vltro ineundam nunquam putarim: Sed nullis etiam blandientis quodammodo fortunæ illecebris, à pristino instituto auocari, me facile pati potuerim. Atque hanc quidem consilii mei constantiam, illud in primis confirmabat: Quod nihil neq: præclarius, neque honestius, nec bene à natura informato homini aptius ducebam: quam in nobilissimis quibusq: ac liberalissime educatis ingeniis instituẽdis, atq: expoliendis, suam omnem aut dicendi, aut intelligendi facultatem consumere. Fuit itaque illa Auditores, mihi quamplurimos iam annos, non antiquissima tantum, sed ferme etiam sola cura: vt studiis vestri istius multo florentissimi, atque ornatissimi ordinis, quantum vel accurate suadendo & monendo, vel fideliter præcipiendo ac docendo, modo ex æquo, modo ex superiore loco consequi potuissem: quam optime consulerem. Neq: vero quidquam contendi vnquam vehementius: quam vt ea, quam excolendam suscepissem, quasi ingeniorum materies, cultu laboreque meo excitata, lætos, ac diuturnos ad omnium aliquando ætatum, ac gentium memoriam, fructus ferret. Cuius me voti cum sæpe Devs immortalis compotem fecerit, propagatis in omnes Italiæ, Europæ etiã vniuersæ ciuitates, pulcherrimis disciplinæ meæ veluti traducibus: eius iam industriæ, quam ad bene merendum de opti-

mis quibusq: & indole præſtantiſſimis adoleſcentib. adhibui: ex illorum met claritate, ac ſplendore, qui in me ipſum quoq: aliqua ex parte redundauit: optatisſimum, atque amplisſimum iampridem videor mihi præmium conſecutus. Idem tamen ego, qui adhuc fidenter, & ſumma animi ſecuritate hæc ſcholarum munia obii: ac tempus omne meum non minore cum oblectatione, quam ſolertia veſtrorum ſtudiorum rationibus tranſmiſi: Idem tamen inquam ego, qui abhinc paucos menſes tam fui firmo & valenti corpore, tam infracto, & inconcuſſo animo, vt nulla me vel itinerum incommoda, vel Caſtrenſium & militarium laborum, vel caſuum pericula frangere potuerint (quod minime iam disſimulanter fateor Auditores) incipio, dum ad poſtremum quaſi actum huiuſce operis mei accedo: & priſtinam corporis valetudinem deſiderare: & noua atq: inſolita animi, atque orationis trepidatione titubare. Venit enim mihi in mentem vereri: ne quod iis accidere conſueuit: qui nullum conandi finem faciunt: vel grauis aliqua aduerſi caſus offenſio, ſuperioris temporis laudem, quantula ea cunque mihi contigerit, obruat: vel ſenectus, & ſi nondum vrgens, aduentans tamen, non corporis tantum vires comminuat: ſed ad intimos etiam mentis ſenſus, quorum ſibi perpetuam integritatem præſtare nemo

mo poteſt: labefactandos graſſetur. Neque vero caducæ, & fragilis vitæ conditionem homini paulo tolerabiliori, atq: adeo veræ, & vnicæ religionis præceptis imbuto deprecandam cenſeo. Si ſenes fieri nos oportuit: idcirco quia & nati ſumus, & adoleuimus, & viximus diutius, quam vt iuuenes diem ſupremum clauderemus: quod multi votis ab immortali Deo expoſcunt: id nos adepti leuiter, & moderate feramus. Ac ſi minus etiam quid ex animi ſententia ceciderit, & ſi quid omnino minus fœliciter conati fuerimus, infenſam ſecundarum rerum perpetuitati Nemeſin patientia, & animi æquitate placemus: Ac meminerimus, quicquid hominem arbitratu ſuo vitare ius faſq: non ſit: nunquam, quin id nobis accidere posſit: ſatis cautum eſſe potuiſſe. Præſtemus ipſi ſocordiæ, præſtemus neglecti officii culpã, quæ iuris, ac mancipii noſtri ſunt: cætera quæ humanæ ſunt fortis pericula, qui ſolus fortunam frangere, ac debilitare poteſt Deus, pro ſua fortaſſe in nos bonitate & indulgentia præſtabit. His ego Aud. cogitationibus, aduerſus inopinatos, ac fortuitos vel actionum mearũ lapſus, vel temporũ iniurias me muniã & confirmabo: Et veſtris ſtudiis, veſtra attentione atq: æquitate fretus, quã adhuc egi perſonã, vt ſpero ad extremũ vſq: illud vitæ plaudite, honeſtiſs. ſuſtinebo. Cõtra vero ætatis iã ingraueſcẽtis incõmoda,

vndenam

vnde nam opem, aut præsidium expetam? Sum equidem natu nihilo grandior: quam qui non longius à iuuentute absit: quam propius ad senectutem accedat: Et hercule inter vos, æqualesque vestros iam senior: Inter eos, quos è ponte deiici uetus iubet verbum: ne ad aliquot quidem annos numerandus. Verum enim, vt in stirpibus, quæ fructum celerius ferunt: quæq: celerius pariunt animantes: multo etiam celerrime senescunt: Et quæ veterina latini vocant, laboris assiduitate, citius quam indomitum pecus quasi fatiscere, & ad vitæ exitũ maturare videmus: Sic ego propemodum, qui ab ipsis pubertatis annis, hosce qualescunque scholarum partus edere cœpi: & quintum ac tricesimum iam ipsum annũ, saxum hoc summo cum labore verso: non caniciem solum properare sentio: sed integerrimi corporis valetudinem desidero: sic mentis quasi calorem intepescere intelligo. Et sane qui acutius rerum naturam intuentur: ipsam etiam mentẽ, vel mentis potius vim, dum est animus hoc septo corporis inclusus: non esse senectutis immunem credidere. Quod si, qui consequentur anni, vel ingenii insigniorem aliquam tarditatem, vel memoriæ infirmitatem, vel postremo vllam iudicii labem allaturi sunt, longiorem certe vitam, vt impii recusare, sic insani duxerim optare. Quæ enim reliqua possit esse cuiquam vitæ iucundi-

cunditas, qui vel in dies bene de altero mereri facultatem non habeat maiorem: vel quam ante adeptus fuerit: dis hominibusq: approbantibus non retineat? Ego mediusfidius iuuenes ornatisſimi, ac luce prope ipſa mihi cariores, facile vitæ diuturnitatẽ perferre poſſum: mea vobis quandiu vſui opera eſſe posſit: Nihil vero omnino deprecor: quin id ipſum tempus, quod nullam mihi veſtra ſtudia iuuandi ſpem reliquam fecerit: idem etiam reliquam mihi omnem effœtæ, & inertis vitæ cupiditatẽ eripiat: vt quaſi occidente iam ſole meo, exoriatur vobis alius, quem & ſanctius colatis ac ſuſpiciatis, & veſtris ſtudiis, ac veſtra celebritate religioſius (vt ita dixerim) proſequamini. Et quoniã quas ſenectus in corpus intentauerit minas, eæ medicorũ inuentis præcaueri, ac retardari credũtur: Sunt enim certa, ac definita vitæ adiumẽnta: quibus vitales corporis partes, ab omni præproperæ ſenectutis iniuria vindicẽtur: Quæ vero contra animi noxas, & ægrotationes minime dubia remedia pollicetur: eadem appetentis ſenectutis metum longius arcere, ac ſubmouere poteſt, bonorum & expetendorum parens, malorũ ac fugiendorum propulſatrix, vnica vitæ magiſtra, ac certisſima tutela philoſophia. Dabitis mihi pro facilitate veſtra, pro veſtro in me amore, ac pietate hanc Aud. veniam: vt ex intimorum ipſius Philo-

Philoſophiæ familiarium numero, latinorum omnium Philoſophorum, ac oratorum principem. M. Tullium Ciceronem, vel.M. T. C. ore ſcienter, copioſe, & ornate loquentem priſcum illum Catonem mihi aduocem: Quo ex eius de ſenectute grauiſsima, & politiſsima diſputatione, cum eum inter vos multo certe accuratius tractauero: quam domi mihi vni ſim ſolitus lectitare: facile in animũ inducam: ſenecturem cum adfuerit, non timide aut diffidenter, ſed apertis quodammodo animi foribus, hilare & intrepide accipiẽdam: Afferentem illam quidem ex ſummi Dei Clementia, aut præmaturam, ac ſempiternam à cunctis malis uacationem, aut certe nihilo deteriora, quam quibus iuuenis perfunctus iam ſum, ſtudiorum, atque exercitationũ genera: quibus & Iuuentutis iacturam ſarciam: & priſtinã meã apud vos gratiã & honeſtatem retineam. Sed enim cum paulo ante, fore nobis præ manibus Ciceronis de Senectute librum ſignificarem, admurmuratum neſcio quid in extremis ſubſelliis animaduerti. Credo vnum & alterum (quantum coniectura aſſequor) quaſi ſtomachabundum dicere. Leuis iſta plane & ſenilis eſt opera: Quis tam hebes & rudis, qui in iſto de ſenectute dialogo interpretem deſideret? Annus hic agitur. VIII. cum Lælium, qui de amicitia eſt, prælegendum ſuccepi: Non defuerunt tunc nobiliſsimi

mi aliquot, mei etiam amantiſsimi Adoleſcētes, qui ſe horam hancce cotidianam luſuros putarent: eam ſi meis in eum Ciceronis librum commentationib. impendiſſent: in quo nihil eſſe arbitrarentur: quod legentis magnopere poſſet ingenium exercere. At enim iidem cum retinendi inſtituti cauſa, vnius & alterius paginæ interpretationem audiſſent, confeſsi certe ſunt: ſapientem ſe quidem Lælium, ſicuti appellatus eſt, ſemper iudicaſſe: nunquam tamen ante, tam alta eum mente eſſe, depræhendere quiuiſſe. Verum Lælii pace dixerim: multo uberius, ornatius, enucleatius de ſenectute diſſerit Cato: quam ille de amicitia: Multaq; rerum, & exemplorum varietate ex omni antiquitate petita, eſt huius ſermo diſtinctior. Iam vero nobiles incidunt è retruſis, & abditis Philoſophiæ fontibus hauſtæ quæſtiones: De uoluptate contemnenda: De animorum immortalitate. Quibus quid magnificentius, quid ætati veſtræ aptius, quid ad ſpem ſempiternæ vitæ, ad quam equis uiriſq: (quod aiunt) magno omnes, & erecto animo aſpirare debemus: accommodatius potuit inueniri? Sed obiiciet fortaſſe alius: Iuuenum auribus non ſatis hunc de ſenectute ſermonem conuenire. Hoc ſi quis mihi dixerit: illud ei reſpondebo: bene & præclare cum iis iuuenibus agi: qui ad talium cuiuſmodi eſt Cato, ſenum orationem aures accommodent:

& è longinquo ſenectutis commoda,& incommoda proſpicientes,ita ſe comparent, eaſq: artes meditentur:per quas & maiore cum voluptate ætatis illius bonis perfruantur , & minore multo cum moleſtia vitia,& offenſas perferant . Neq: vero maior eſt inter ipſa ſimilibus, quam diſsimilibus conuenientia: Neq: eſt iure, mea ſententia,uetus ille pictor reprælienſus,qui in Gymnaſio cauſas agentes patronos,in foro luctantes, diſco & pila ludentes athletas fecerat: E' colorum,ſaporum,uocum uarietate, E' diuerſarum formarum,qualitatum,corporum deniq: apta iunctura, & cōpoſitione, omnis exiſtit concinnitas,& pulchritudo. Poteſt item iuuenilis ille mentis feruor,& vehementior concitatio hiſce de ſenectute ſermonibus leniri,ac temperari:quo ſedatius omnia,& moderatius iuuenes aueant, conentur ac moliantur.Huc accedit, quod nihil prohibet ex eodem hoc aureolo libello,uos æquabilis,ac temperatæ, & plane canæ orationis dignitatem,rerum minime vulgarium,& lectiſsimorum verborum copiam, atque elegantiam miram, cum ſumma comitate coniunctam ſermonis grauitatem, ME imminentis iam ſenectutis conſolationem petere.Quod ſi ante hac id vnum contendi:vt vnis auditoribus meis quid quid explicandum ſuſcepiſſem, maxime probaretur, & ad ipſorum duntaxat frugem proficeret: Ac idem

etiam

etiam magna huius anni parte, & reliquis deinceps annis sum elaboraturus: A vestra profecto humanitate fuerit, mihi hoc quasi annui laboris mei corollarium: vt aliquid ipse etiam ad id, quod ætatis reliquum fuerit, non grauate ferendum, ex nostris cotidianis mihi sumam commentationibus. Ac qui semper vt aliis in hoc scholarum munere saperem, operam dedi: hoc tantillum, quod in hoc libello exponendo exhaurietur temporis, mihi etiam ipsi sapere studeam. Quid vero si ostendo cotidianam huius libri lectionem nihil hercule minus vobis, quam mihi profuturam? Iuuenes vos quidem fere omnes estis: Et ego pene nuper eadem ista ætate fui. Optatis, opinor, vestrum singuli ad hanc, qua ego nunc sum, ætatem, aut hoc etiam longinquiorem peruenire. Est vero prudentiæ vestræ: ea quæ vobis iam senibus ex vsu futura sunt: comparata, & expedita vt sint, mature prouidere: Non minus certe quam strenui milites in pace bellum meditantur: In portu Gubernatores gnaui, quibus in altum prouecti vtantur, armamenta: Industrii Agricolæ per incommodas tempestates, operis in agro faciundi instrumenta disponunt. Quod si quis fortasse vestrum idcirco ab his nunc sermonibus abhorret: quod senectutē longissime ab hoc, quo nunc fruitur, ætatis flore abesse existimat: Is sciat, ac sibi habeat persuasū: exacti, aut

insequentis temporis omne curriculum, quod certis ac definitis, vel dierum, vel mẽsium, vel annorũ nominibus circunscribitur: ad æternitatem, ad omnem. s. æui infinitatem relatum, eandem quam nihil ad omnia rationem habere: Quod igitur humanæ ætatis spacium lõgum, si nihil sunt tempora omnia? An non ipsum hoc nihil, illo multorũ sæculorũ nihilo compræhensum, vel consumptũ potius ita euanescat: vt non solum quod veteres dixere: vel bulla, vel vmbræ somniũ vita nostra sit: Verumetiam si quid nihilo minus excogitari, vel si nihil ipsum in particulas multas diuidi, ac secari possit: ne centesima quidem millesima nihili ipsius particula sit id totum, quod quis vel diutissime vixerit? Ecquam diu igitur iuuenes optimi senectutem à crine, genisq: vestris, ab isto singulari homine vestro, vel fragili hominis testa absuturam putatis? An quia tardam appellant non nunquam Poetæ, ea loquendi impunitate, qua cæcam fortunam, pallidam mortem, sero venturam speratis? Adsistit mihi credite, & assidet vobis: Ingredientes consequitur: stantes impellit: Festinantes nihil remoratur: cunctantes anteuertit: Et multo plerunque ante adest: quam aduenturam sentiretis. Neq: vero nos illa, vti morbi solent, repente adoritur: sed in singula temporum momenta, à natali ipsa hora ætatem nostram furtim carpit. Senectutis euenta quæ-

ta quædam in vtranq: partem ſenſu percipimus: vti pedum, aut oculorum debilitatem, conſilii, & orationis maturitatem: ſenectus ipſa quæ perpetua eſt & præſentisſima vitæ comes, ſenſim gliſcens non cum repit: ſed tum demum cum obrepſit, animaduertitur. Cum eſſem iuuenis, cum eſſem adoleſcens, cum eſſem puer, quam ſæpe dicimus? Mihi quidem, & multo me natu maioribus ita illæ ætates abſunt: vt quæ ab oculis quam proxime abſunt: Quid enim eſſe poteſt longinquum, quod non tantum nihil, ſed longe minima etiam nihili pars ſit? Enimuero vix iuuenis, vix adoleſcens, vix dum puer eſſe deſii. An longius abſit à pueritia ſenectus, quam à ſenectute pueritia? Sum ego iuuenis inquit ille: Dic ſodes, dicis ne recte illud eſſe: quod priuſquam eſſe cœperit, eſſe deſierit? Quod ſi te ne eſſe quidem mihi perſuaſeris: illud profecto minus te iuuenem eſſe probaris: Fugiunt hæc fortaſſe minus acutorum ſenſus tam breuiter concluſa: Fugit, mihi hoc (ſi quidquam aliud) credite, celerius multo iuuentutis præſentia. Neſcio quam poſſit multis veri, quod dixero ſimile videri: ſed eo nihil eſt verius. Non eſtis eodem iam, quo cum huc introiſtis, vel animi, vel corporis habitu fuiſtis. Quod ſi propius quã in conſpectu eſt ſenectus: Agite generoſi iuuenes, eas artes capesſite: ea ſtudia colite: in eas exercitationes incũbite: Vnde

hone-

honestißime actæ vitæ recordatio iuuentutis desiderium leniat: Ac vertici imminentem, & vestra iam prementem vestigia senectutem, ipsa bene, & præclare dictorum, & factorum memoria, tanquam hospitalibus muneribus venientem accipite: ac veluti luculento viatico discedentem prosequimini. Simul vero, vos certe maturius, ego non omnino alieno tēpore, ex Ciceroniano Catone cognoscamus: cum senectute comiter, & iucunde agēdum: Ac ne ipsam quidem mortem, quæ senectutem statim consequitur: cum certisſima ei sit spes immortalitatis proposita, pertimescendam. Maximum certe vos, & minime vulgarem fructum ex hac cotidiana opera capietis: Si quæ vobis meditanda, & comparanda sint senectutis præsidia didiceritis. Nam ego (vti spero) simulac vobis librum hunc perlegero: ad hæc scholarum munia pristina, ac iuuenili prope fiducia obeunda, alacrior, & valentior exoriar. Dixi.

ROMVLI AMASAEI ORATIO QVA EXORDII SVI TARDITATEM EXCVSAT.

INEPTVS ego vobis Aud. merito videri posſim: Prologo si nunc vllo apud vos vtar: cum scabella iam concrepuerint, & alii disciplinarum liberalium docto-

doctores valere vos in multos dies,& plaudere iusserint. Quare quam meditatus fueram, priusquam Pont.Maximi accersitu Romam excurrerem:annui laboris mei prolusiunculam, eam ego in aliud tempus ad integram attentionem vestram, integram reseruabo. Nunc vbi paucis vobis,quos cogitationũ, actionumque mearum æquissimos fore iudices spero,& longioris cessationis meæ,& insperatæ in hunc locum reuersionis causam exposuero: ad id in quo sum vobis me operam nauaturum professus, operis statim aggrediar. Vos obsecro me perbreui agentẽ oratione,vel vt verius dicam sermone,attente,& benigne auscultate. Continuit me studia Aud. vestra pro virili mea iuuandi,& ornandi cura,ac solicitudo potius. xxx. ipsos annos in hac assidua, & cotidiana scholarum exercitatione: Per quod quidem tempus fuit mihi frequens consessus, & conspectus vester rerum omnium multo optatissimus, & iucundiss.Neq: vos interea(nisi mea me fallit opinio)mei erga vos officii, & assiduitatis vnquam debuit pœnitere. Vos me istius longe florentissimi ordinis corona celebrare nunquam desiistis. Ego quantum in me fuit, vt ab hisce subselliis bonam aliquam frugẽ domos quisque vestrum suas reportaretis, summa ope contendi,& elaboraui. Atq: huius quidem pulcherrimi,ac pietatis pleniss.certaminis, qualem fere

optare

optare debuimus, vtrique nostrum fructum cœpimus. Vestrum enim plurimi præceptis, monitisque meis incitati, ea sibi literarum, & ingenuarũ artium ornamenta compararunt: per quæ ad vitæ dignitatem, ad veræ solidæque laudis spem, quam facillime aspirare potuerunt. Ego præter ea vitæ commoda, quæ per vos mihi parta sunt: per eosdem etiam vos in omnibus Europæ vrbibus, ac regnis aliquã sum, atque adeo non contemnendam nominis celebritatem consecutus. Fuit vèro vestra in me pietas, non illa quidem quam mea erga vos ardentior: sed multo mediusfidius ad perpetuitatem felicior. Vobis.n. quo minus in me colendo eodem semper essetis àni mo, nihil potuit aduersari. Mea in vos officia, quæ vobis dum per ætatis integritatem licitum fuit, ingenti studio, ac summa fide præstiti: vrgente iam, aut certe aduentante senectute, languescere, & claudicare (vt ita dixerim) cœperunt. Vester enim iste pulcherr. iuuenum conuentus, perpetua æui quasi viriditate quotannis efflorescit: ego communem ab ipso natali singulis hominibus datam legem, vt qui annos satis multos vixerint, ii etiam senescant: neque nondum delirans debui deprecari: neque si maxime recusassem, effugere tamen potui. Et profecto hæc semicani hominis ad deteriorem ætatem inclinatio, humanæ conditionis neque ignaro, neque immemori,

mori,fuit æquisſimo animo ferenda. Illud enimuero illud,ne quid vos mei amantisſimos cœlem: per mihi moleſtum contigit: Quod comminutis iam corporis animjque viribus,aliqua etiam exteriorum ſenſuum parte, non ætatis magis quam aduerſarum rerum,& minus ſecundæ valetudinis vitio debilitata,meam de vobis quam optime merendi priſtinam voluntatem, quibus antehac conſueueram facultatibus,nullo amplius pacto poſſe videor adæquare. Neq: vero fuit mihi illud grauate ferendum: quod quæ veſtræ eſſent partes,eas vos eadem ſemper felicitate tueri,ac peragere poſſetis. Quin hoc vnum moleſtiam meam aliqua ex parte leuabat:Quod caligãtem iam prope(vt ita dicam)viuacitatem meam ab exoriente veſtra laude,luminis aliquid accipere poſſe ſperabam. Verum ea me inquam res pluſquã dici posſit,dies noctesq: angebat: quod eas facultates,quibus veſtra humanitatis iam per tot annos ſtudia non omnino infeliciter iuueram, haud ſcio an magis effæto diuturnis curis & moleſtiis ingenio, quam fatiſcente annorum accesſionibus corpore, indies carpi,atq: atteri ſentiebam. Cum itaq: rei ex hoc loco bene & proſpere gerẽdæ priſtina deſiderarẽ præſidia:Horatiani illius præcepti,quod eſt ex Platonis Parmenide,crebro in mentem veniebat.Solue ſeneſcentem maturus æquum, ne peccet ad extre-

mum ridēdus, & ilia ducat. Quid enim eos ne ego cursus, quos prima à parte iuuentæ, secundissima vestrum omnium aura institeram: vacillante memoriola, titubante vocula, hebetiore fortasse (quæ solent esse inclinantis ætatis offensiones) mente, quam oculis, cum risu & illusione iuuenum illud sæpe vsurpātium, lusisti satis, edisti satis atque bibisti: Tempus abire tibi est: ne potum largius æquo rideat & pulset lasciua decentius ætas: Eos ne ego cursus Minerua, Apolline, Musis, & Mercurio parum iam æquis, & fauentibus retinere conarer? Hæc me Aud. cogitatio, aut animi potius angor ad aliud vitæ genus, pro mea perpetua erga vos beneuolentia, & in amplis. ac ornatissimum huius ciuitatis ordinē, à quo me ægerrimæ dimitti animaduertebam, summa obseruantia, inuitum (ne mentiar) abstrahebat. Quod vero mea vobis opera ne quam minimo posthac vsui esset verebar, nihil me posse elegantius facere putabam: quam si huius curriculi quasi lampada homini cuipiam tradens, qui vestris ingeniis lumen clarius accenderet: Priusquam inter eos connumerarer: qui essent de ponte deiiciendi, ipse in aliquē me honesti ocii portum mature reciperem: vnde præclarius multo quam hoc idem perpetuo saxum versando, meum de bonis ac literatis omnibus, de vobis in primis bene merendi studium, & præsentibus

bus,& posteris etiam fortasse testatum relinquerem. Huius ego dum compos voti fieri cupio: lapidem (quod aiunt) omnem me fateor mouisse: Et summis principibus, penes quos sunt orbis terræ gubernacula, certam mihi spem ab hoc munere vacationis ostentantibus, non modo aures dedisse: sed multis etiam & assiduis precibus ab iisdem contendisse: mihi vt hanc cum beneuolentia sua coniunctam veniā darent: vt si ætatis longe optimam ac max. partem in grauissimis scholarum laboribus consumpsissem: Et eam, quam mihi vel ratio tribuisset, vel fors obtulisset spartam, satis iam satis diu pro viribus ornassem: Quod esset vitæ reliquum, si meo vixissem modo, id merito possem ipsorum liberalitati acceptum referre. Confecta iam prope res erat ex animi mei sententia: Nihil iam me quantum orando profecissem: cui exoratam & explicata omnia esse videbant pœnitebat. Nouū ego iam vitæ genus & ætati meæ aptius, & ad studiorum meorū nescio quas vigilias, iam pridem inchoatas duntaxat, & informatas expoliendas, accommodatius meditabar. Quam lubricæ spes & fallaces, quam inanes cogitationes, quam plerunque irrita hominū vota, & ante sæpe, & nunc certissimo rei euentu sum expertus. Subiti præsentium temporum casus, vt vmbræ illud somnium es-

ſet:quemadmodum poeta nobilis dixit, effecerunt. De ſtatu vitæ optatisſimo, repente me Nemeſis neſcio quæ mea deturbauit. Poſito igitur iam quaſi ſcænico ornatu, priſtinam recipio perſonam: Et qui non potui fati mei veluti turbine quodam obluctante portum eum, quem certa ratione optaram, tenere: Eò conuerſa vnde ſolueram, velificatione, ad vos Auditores redeo: Et in ſinum veſtrum turbulentis & periculoſis temporum meorum tempeſtatibus agitatus, & iactatus confugio. Quod ſi aut vos, aut ſanctius huius ciuitatis conſilium, vnde mihi maxima extiterunt vitæ ſubſidia, & ornamenta, minus liberalis alicuius cupiditatis cauſa deſerere volui: iure vti fuit, ita eſſe debuit infelix omnis conatus meus. Sin eo meum omne conſilium ſpectauit: & eò, dum huius loci celebritate carui, cogitationes meas omnes intendi: vt qui viua (quod aiunt voce) parum omnino me vobis amplius prodeſſe poſſe intelligerem, rationem iam aliquam inirem, plus veſtra cauſa, dum minus ſatagerem, agendi: Meaque erga eum, quem iam ſæpius honoris, & amplitudinis cauſa nomino, ordinem, officia ac fidem expreſſius, & illuſtrius extare poſſe putaui: Reliquum illud eſt: vt meum ad uos reditum boni conſulatis: veſtramque humanitatem, & propenſam ad cogno-

ſcen-

ſcendum & ignoſcendum voluntatem, ad optimi & ſapientisſimi ordinis, qui quod huc fuerim in præſentia reſtitutus, id ſibi gratiſs. contigiſſe minime obſcuris ſignificationibus declarauit: mentem ac ſententiam aggregetis. Ego enim vicisſim fortunæ meæ, quæ me hinc euolare cogitantem, in veſtros complexus reiecerit, nõ modo fuero libenter obſecutus: ſed longi etiam temporis vſuram, quam vobis abſentia mea eripuit: ſedulo quantiſper mihi apud vos, dis hominibusq; approbantibus eſſe conceſſum fuerit: operam dabo, vt meorum erga vos officiorum magnitudine, ac crebritate ſarciam. Bene vero, & præclare mecum actum exiſtimabo: ſi in poſterum asſidue de conſpectu, gratiaque veſtra ſpiritum ac vitam duxero: & in veſtro ætas mea iam ingraueſcens amore, atq; adoleſcentia conquieuerit: Ac ipſe poſtremo, vnico & ſempiterno Deo neutiquam inuiſus, quæ ſoleo ad vtilitatem veſtram commentans, ac meditans extremum diem clauſero.

ROMV-

ROMVLI AMASAEI PRO SE IPSO ROMÆ HABITA ORATIO.

IN hanc clarisſimam lucem veſtri iſtius multo florentisſimi conſeſſus, Audito res, ſedato iam, & ad ſtudia veſtra iuuanda, & ornanda quam optime com parato animo prodeo. Ac proximo ſu periore quidem anno tam grauiter me fortunæ cõmutatio, ac rationum mearum omnium fatalis velu ti quædam conuerſio perculerat: Vt & ab omnibus, quæ ante libenter & non indiligenter obire ſolitus fueram, muneribus abhorrerem, & ſimul priſtinæ, quam minus conſulto mihi reliquiſſe videbar, vitæ deſiderio intabeſcerem: Non animi vero tantum de misſionem, & contractionem, ſed mentis etiam con ſternationem, vel potius ſtuporem, fronte, oculis, vultu, oratione, non poſſem non præ me ferre. Neq: vero aliter, quam qui per incommodas tempeſtates è portu ſoluerunt: neq: quo ſe ex alto recipiant, iam habent: neq: iactis anchoris conſiſtere, ſuſceptæ nauigationis rationibus conducere arbitrantur: Sic ego propemodum reditum inconſtantem, ac prope etiam turpem, progresſionem aut præcipitem, aut certe quam maxime periculoſam videbam. Inter incertas itaq: cogitationes trepidabat ſenſus: claudi

cabat

cabat consilium: sententia titubans vt erepto rationis lumine in densis temeritatis tenebris, atq; adeo in salo veluti quodā desperationis iactabatur: Quid eiusmodi vitæ statu tetrius, aut miserius fingi, excogitariue potuit? Mortem optabam: cœli (vt Poeta inquit) tædebat cōnexa tueri. Annus plane totus est Aud. in eo mihi luctu & squallore cōsumptus. Quā longe est alia nunc mihi mens? Nunc resipisco: nūc me colligo: nunc ad me redeo: nunc illum perniciosum & quasi dirum veternum excutio. A desperatione ad spem: A consilii imbecillitate ad constantiam, A perturbatione summa ad summam tranquillitatem reuocor. Reuixi igitur iam, & in vestro officio, in vestro tanquam sinu conquiescens, vt quam possim, diutissime uiuam, operam do: Vacuus à me tu propriorum temporum (Nam communia vt deprecari debeo, ita si opus fuerit oppetere non recuso) plenus bonæ spei, alacritatis plenus, vobis, quorum ipso conspectu mirifice me excitari & confirmari sentio: pro multis atq; ingentibus de quibus paulo post agam, erga me meritis gratiā relaturus, ad hoc augustissimum Musarum sacrarium, pro loci dignitate, proque institutæ rei magnitudine, timide equidem ac diffidenter, pro vestra vero in me humanitate, ac spectata potius pietate, hilare & lætanti animo redeo. Sed nequis fortasse vestrū Aud. cum

cum neque obſcuræ fuerint præteriti doloris mei ſi gnificationes,& in præſentia minime dubius cuiquã eſſe posſit, meus cum priſtina animi tranquillitate quaſi reditus in gratiam: me aut cum fractus, & debi litatus concidiſſe viderer, non ſatis venia dignum fuiſſe ducat:aut nunc leuitatis crimine condemnet: quod ex animo omnem ſolicitudinem abiecerim: Vtriuſque rei cauſam,priuſquam ad ea quæ cotidia no muneri meo adiunctiora ſunt,veniam:paucis cur ſimque perſtringam. Per enim hercule magni inter-eſſe arbitror:cum inter uos de virtute ſim multa co-tidie dicturus,non cenſeri me,vel in ſuſcipienda,vel in deponenda animi ægritudine, à virtute alieniorẽ fuiſſe: quam communis hominum, vel doctorum etiam ſententia ſi non graui, at certe tolerabili ho-mini permittere poſſe videatut.Id ego vbi in pauca contulero: ne mei erga vos officii ratione nonnulla breuiter attingam:non ita multo poſt maiora,ac cer tiora mei in vos animi,ac propenſisſimæ voluntatis documenta daturus. Vos interea obſecro libenter me,& benigne auſcultate. Vtinæ ego Aud.natus sũ: nobili ſane in foro Iulii,vt nunc res ſunt,loco:ſecun dum veterem Aquileiam, celebri vrbe & copioſa, atque optimis ingeniis,& ad liberalisſima quæq: ſtu dia natis,& aptis affluenti:Bononia vero iam inde ab Atauis oriundus: Patauii, & Venetiis ſub Gregorii

patris

patris,ac Hieronymi patrui mei optimorum,& eru ditisſimorum hominum diſciplina educatus.Bellorum deinde quibus tunc vniuerſa ardebat Italia,procella veluti quædam Bononiam me tunc primum pubeſcentem eiecit.In ea ciuitate Aemyliæ ac Flaminiæ Principe,multo ampliſsima & florentisſima,per adoleſcens è patritia & antiqua Vaſtauillanorum familia,vxorem duxi. Per quam mihi prænobiles affinium,& propinquorum ſunt conciliatæ neceſsitudines: Quæq: me liberum minime pœnitenda ſobole auxit: E quibus filiæ partim cum viris neque nouis, neque ordinariis matrimonii cauſa ſunt: partim vero in ſacroſanctum virginum cooptatæ collegium, aſsidue pura,integra,& incorrupta mente præpotentem Deum,Deique filium Deum & hominem,optatisſimum ſponſum ac Dominum ſuum agnoſcũt, & venerantur. In hac ego ciuitate cum tantum iam eſſem perpetuis laboribus,ac vigiliis conſecutus:vt quanti fierem cum à ciuibus,tum ab exteris,qui illuc diſcendi cauſa conuenerant, me nihil omnino pœniteret: A Senatu Veneto per grauisſimum,& ornatisſimum.S.C.ſum Patauium euocatus. In eo literatorum hominum conuentu, qui tunc maxime,& iuuenum nobilium frequentia, & Doctorum præſtantia effloreſcebat,cum iam celebrari nomen meũ cœptum eſſet:A Clemente. VII. Pont. Max.Vene-

tis patribus eius poſtulationi, non ſatis mediusfidius libenter aſſentientib. Bononiam primum ſum reuocatus, ac bis deinde Romam accerſitus. Armorum tunc impetu & furore agebantur, ac rapiebantur omnia. Non fuit igitur mihi Bononienſis ille portus, in quo magnis hominum ſtudiis retinebar, relinquẽdus: neque in medios turbulentisſimarum tempeſtatum fluctus irruendum: Domicilium itaque Bononiæ conſtitui: Neq: ita multo poſt ea omnia ſum adeptus, quæ loci ordiniſq: mei homini ſummæ expetenda videantur. Neque enim vllus omnino fuit vel ordinarius, vel extraordinarius eius ciuitatis honor, nulla vel virtutis, vel meritorom commoda aut ornamenta, quæ ad me Dis hominibuſq: approbantibus, Senatus ille longe amplisſimus, atque ornatisſimus non vltro, non libentisſimis animis detulerit. Mihi poſtliminio ciuitatis iura omnia reſtituta: Mecum ſummi magiſtratus, & iudicia communicata: Mihi poſtremo quod ante me nemini, qui ſuo, patrito & auito ortu ciuis non eſſet: perpetua tabularii & publicorum actorum præfectura, qua cum huc veni, annos iam. XIIII. ſecundisſima fama functus fueram, decreta. Sed quorſum de ſtatu illo meo tam multa? Vt non leues me, aut parum probabiles dolendi cauſas habuiſſe intelligatis: Cui tot, & tanta vitæ quam honeſtisſime degendæ fuerint præſidia relinquenda.

linquenda. Delectat in sua quenq: patria viuere. Ego omnem in patria mihi optatissima, ac de me meisq: optime merita viuendi, moriendi etiam spem amisi. Iocundi sunt liberi: Iocundæ bene conuenietium propinquorum, Iocundiores plerunq: animorum consensu, & diuturna consuetudine confirmatæ amicorum necessitudines: Ego me ex liberum, qui me vt sequerentur, ex vsu rei familiaris meæ non fuit: Ego ex necessariorum omnium conspectu subtraxi. Expetenda vitæ dignitas, expetendi honores: Ego me partis & inueteratis abdicaui. Bene & præclare cum illis agitur: quorum vitæ victusque rationes in tuto collocatæ sunt: Ego nouo & prope inusitato exemplo, iam natu grandior, certissimis & luculentissimis conditionibus relictis, aptam cœpi quasi ex rudentibus, vt vetus poeta inquit, Fortunam habere. Hæc ego, Hæc ego inquam omnia cum reliquissem, tam potui non vehementes dolere: quam qui vel secetur, vel vratur, possit doloris sensu vacare: Dolui ego vero, & diu dolui: In desiderio rerum carissimarum, & acri luctu iam prope contabui: Ac sæpe ad poetarum complorationes se memoria referente, Patria, o relictum filio nomen, pietasque dixi, victa furore. Vnde quo veni? He heu quid volui misero mihi? Floribus Austros perditus, & liquidis immisi fontibus Apros. Occurri adhuc Aud. mul

torum admirationi:qui vel ſecum taciti, vel in amicorum circulis & ſermonib. diuturnæ triſtitiæ meæ cauſam requiſierunt: Et ſimul Romanis iam Auditoribus meis, quibuſcum mihi viuendum,& è quorum quaſi ſinu,ad alteram,ac potiorem quidem(vti ſpero) vitam eſt euolandum, me totum ab ipſis fere crepundiis, atque incunabulis cognitum volui. Iam vero quæ fuit altera propoſiti mei pars,quæ res, quæue cogitationes,mœrenti ſolatium apportarint: iacentem erexerint,& afflictum excitarint:dum breuiter expono: orationi meæ, quam adhuc præſtitiſtis, attentionem & ſilentiũ impartimini.Agedum, Reſtat,vt his ego me ipſe regam, vt eſt apud Poetã, ſolerque elementis. Me ſi fata meis voluiſſent ducere vitam Auſpiciis,& ſponte mea componere curas Vrbem Troianam primum dulceſque meorum Relliquias colerem: Non fuiſſe ſpontis ſuæ Virgilianus Heros putat:quod neque vrbem Troianam, neque dulces ſuorum relliquias colere potuerit.Fatorum ſe vi,& impulſu eiectũ interpretatur. Quod ego optimam & mihi cariſsimam patriam, & tam multa,quæ mihi in ea longe iucundiſsima fuerunt, non colam,niſi ſola recordatione, fac ſpontis & optionis meæ fuerit: Ecquæ nam tandem eſt inſania, quod ipſe maluerim,quod optauerim,id ſi eueniſſe feram acerbius? At fato id euenit: neceſſario.ſ.cauſarum

ſarum

ſarum concurſu, & ſempiterno diuinitatis decreto. Ego homuncio me neceſsitate victum indigner, cui ne Dii ipſi quidem, vt vetus eſt Græcorum verbum repugnant? Quid ſi maximorum Regum, in quorum tam ſunt homines, quam ipſi Reges in DEORVM poteſtate, fuit iuſsis parendum? Ego ne vt iis inuitus paream, quorum ipſe terrarum orbis & illa in primis, vnde huc ſum miſſus ciuitas, dicto audiens eſt: quibus quæ haud grauate faſces ſubmittit ſuos: Quorum poſtremo nutus omnes ita obſeruat: vt quidquam quod ſignificarint, abnuere vel recuſare impium & nefarium ducat? Et quo nam veni? Vlubras ne aut Minturnas? In eam vrbem veni: quæ vrbium cunctarum, & ipſius orbis inſtar eſt: Quæ perpetuum eſt Imperii, ac maieſtatis domicilium: Quæ exterarum gentium, ac nationum communis, ac fidisſimus portus: Auguſtisſima religionis ara, Et vt olim fictorum DEORVM ſedes, ita nunc ſacrum, & ſanctum veri DEI, ac Diuorum Diuarũq; omnium delubrum, ac penetrale. Quæ latinas literas prima in lucem protulit: Quæ Græcas benigniſsimo acceptas hoſpitio fouit, & illuſtrauit: Quæ eloquentiã, quæ artes ingenuas ac liberales, & liberalib. proximas & finitimas, ac rectisſima quæque ſtudia, quæ virtutes omnes, quas vel animis hominũ natura ingenuit,

ingenuit, vel doctrina expresſit, vel vſus perpoliuit: Quæ humanitatem deniq: ipſam excoluit, & feliciſſime per totam Europam propagauit. Et quorum nam Principum accerſitu, ac iuſſu huc veni? Pauli nempe. III. vnius omnium Optimi, Max. ſapientiſſimi Pont. Alexandri Farneſii conſortis Pōtificiæ poteſtatis, nutu, voluntate & imperio: An non is eſt Paulus, cui ob ingenium, ob diuinam virtutem, ſingularem in rebus omnibus ſuſcipiendis prudentiam, in obeundis, ac perficiendis incomparabilem felicitatem, atque animi magnitudinem, vniuerſa reſp. Chriſtiana iam grandiori natu, non diuturnam modo vitam, ſed immortalitatem etiam ſi fas ſit, optare debeat? Nam quid de Alexandro Auiti nominis ac magnitudinis certisſimo hærede dicā? Qua morū, qua maximarū virtutū indole eſt? quā præmaturo rerum vſu? Qua humanitate, & cū ſumma humanitate coniuncta animi ſublimitate? Et maior ille quidē Alexāder me ſemel in fidē ſuā receptū, iis proſequitur beneuolētiæ ſignificationibus: Vt cum ei, quem Domino quidem terrarum, & communi Chriſtianorū patrono, ac parenti ius faſq: eſt, honorem habeā, amabili tamen nonnunquam (vt Poetæ verba vſurpem) luſus inſania, ipſum mihi patrem, quem ante annum tertium amiſi, ſperare audeam reuixiſſe. At minor cum mihi inter Doctisſimos homines, quos domi

ſuæ

ſuæ alit & ornat: quorumque ſermonibus, & familiari conſuetudine plurimum delectatur, honeſtisſimũ locum tribuerit: maximum ac certisſimum eximiæ liberalitatis ſpecimẽ dederit: ipſa etiam, quæ eſt eius incredibilis humanitas, patris me appellatione dignari conſueuerit. Ac non tantorum Principum iudicia, tamq; præclara erga me voluntas, non ſtirpem tantum, vt ita dicam, ſed fibras etiam ipſas doloris ex animo meo debuerit conuellere? Huc accedit Sacroſanctorum Patrum, minorum Põtificum, ſummorum, ac virtute & meritis amplisſimorũ virorũ, & eorum cuiuslibet, ne ſingulos nominem, mirifica in me beneuolentiæ declaratio. Quid vero de veſtro iſto pulcherrimo, & florentisſimo ordine loquar? Ab ipſo nimirum capite, ab ipſo.ſ. veſtræ iuuẽtutis Principe & moderatore, Camillo Peruſco humanisſimo, ac literatisſimo viro, vnoque omnium, qui tanto Rectore dignisſimis iuuenibus præſit, dignisſimo, eſt veſtrorum in me officiorum, à quam gratisſimo animo profecta commemoratio accerſenda. Is enim me venientem qua accepit gratulatione? Quibus rationibus meum vt deſiderium leniret ac dolorem, operam dedit? Quo ſtudio, qua animi contentione, & de diſceſſu paucis ante menſibus cogitantem, retinendum curauit, & vt hic, hic permanerem, effecit? Credo quod, & me à ſe diuelli

ægerrime

ægerrime ferebat,& veſtrorum ſtudiorum ornatisſi mi iuuenes,ſi manſiſſem in officio, rationibus optime conſultum iri putabat. Iam vero uob.ipſis bonarum literarum ſtudioſisſimi iuuenes: quantum me debere ſentiam: non poſſum tacita cogitatione,nedum verbis conſequi. Veſtrum vnus & alter,quibus antea notus eram,qua me caritate,ac verius amoris ardore,qua ope,quo præſidio complexus eſt? Reliqui,quem veluti intermortuum anno ſuperiore cotidie viſeretis,quem aliquid dicere conantem, præ animi tamen ægritudine, hæſitantem, & balbutientem,non audiretis tantum, ſed asſiduitate,frequentia,attentione ac ſilentio veſtro proſequeremini, dignum putaſtis: Abſentem deſideraſtis: Reducem gratulati eſtis: Quam habeo maximam pro tot talibus ac tantis, talium & tantorum cum Principum, tum ordinum vniuerſorum in me meritis, ſatis ſcio gratiam referre fruſtra meditor. Quid animi tamen erga omnes,quid ſtudii ac voluntatis habeam: quæ poſtrema,& ea breuisſima futura eſt orationis meæ clauſula, quæſo eodem quo cœpiſtis, animorum & aurium tenore attendite. Hunc ego huius proluſionis meæ extremum quaſi actum paucis abſoluam: Quod re magis,quam verbis gratum me & memorem aueo oſtendere. Primum ego Pont. ipſi Max. & eius nepoti Alexandro bonorum omnium,& nomi

natim

natim meo, ac fortunarum mearum Patrono, vob. testib. atq: Arbitris, quod habeo, summum pretium persoluo: vitam.n. illis caputq: meum do, dedo, dedico, ac deuoueo. Alterum quam me ipsum diutius cupio viuere: Pro altero (alienis vtar verbis: quod de propriis meliora non suppetunt) Bis patiar mori: Si parcent iuueni fata superstiti. Iam Patrib. ipsis conscriptis pro spectata, & propensa in me animi inclina tione eum cultum, atq: obseruantiam, quæ possit à mente optima, & maxime deuincto animo proficisci, verbis prope cōceptis, tum ipsis in vniuerso, tum ipsorum singulis, vltro spondeo, ac defero. Tibi vero Scholasticæ iuuentutis Princeps, quem absentem semper in oculis fero, & in quem nunc præsentem tam non vulgari dignitate, quam priscis moribus, & digna Romano homine doctrina conspicuū intueor: Tibi ego me in optimis studiis augendis, & honestandis comitem amantissimum, ac fidissimum administrum, & adiutorem diligentissimum præbeo: Vobis nobilissimi atq: ornatissimi iuuenes, ac de me optime meriti, tantum habeo fide optima polliceri: præcipuam mihi, atq: antiquissimam curam fore: vt quantum voce, quantum scriptis, quantum publica ac domestica opera contendere, eniti, atque efficere potuero: me non indignissimum fuisse interpretem ni: cuius fortasse fuerit quasi diuinitus vrbi nomen

SS debi-

debitum ac destinatum:quiq: iam quater & amplius à duobus Pontificib. Max. huc ad vos fuerim accersitus:quo valente & vigente, vt nunc sum, & est Diis gratia, perdiu frui, ac sero senem fieri, vel certe senem quamdiutissime vobis esse, cupiatis. Quem denique vitæ iam muneribus perfunctum, maxime memori & grata recordatione prosequamini. Dixi.

ROMVLI AMASAEI ORATIO QVA CIC. DE NATVRA DEORVM LIBROS AGGRESSVRVS DIVINVM AVXILIVM IMPLORAT.

MIHI quidem iam post exactos cum in publicis negociis, tum in scholarum munerib. VII. &. XXX. amplius annos, Summorum vrbis, & orbis terræ Principum, siue clementia, siue æquitas, siue indulgentia, emerita iam stipendia, & cessationem liberam, atque ociosam pollicetur: Vsque dum tamen aliqua superest ætatis quasi viriditas, vestro ornatissimi iuuenes conspectu vt libenter caream, nullo possum pacto in animum inducere. Eo fit, vt quamuis non desint docti, & solertes in hoc cōmentandi genere homines, qui & sensib. integrioribus, & mente vegetiore ad munus hoc obeundum alacrio-

alacriores,& valentiores esse queant: ipse tamen faculam meam,quam in trib. literatæ iuuentutis conuentibus satis hercule secunda fama,ad iuuenum ingenia illuminanda tandiù prætuli: accensam perferre ad curriculi mei calcem conari mihi videar debere.Sed enim huic propositi mei vel perseuerãtiæ, vel peruicaciæ huiusmodi frequenter animo aduersatur cogitatio.Quid ego pristinarum adhuc exercitationum viam insisto? An iuuenis esse non desii? Quid igitur iuueniles animos præ me fero? Quasi facultates eas,quibus olim florui,magis effæto rerũ aduersarum cõcursu, & diuturnis curis,ac molestiis animo, quam fatiscente annorum accessione vitali robore, iam indies carpi,atq: atteri sensurus nõ sim: Et hæc prius fuerunt:Quin potius iam recondita se nescamus quiete,& recordatione fruentes actionũ, inuentorumq: nostrorum, cum maximis Poetis decantemus:Et nos aliquod nomenq: decusque gessimus: & illud vna, & altera pro senili licentia syllaba claudicantes:Vixi iuuenib.nuper idoneus,& militaui non sine gloria. Nihil ad me illud iam: Continuo pecoris generosi pullus in aruis Altius ingreditur, & mollia crura reponit. Primus & ire viam, & fluuios tentare minaces Audet, & ignoto sese committere ponti. Nec vanos horret strepitus. Sed illud mihi quanto aptius? Frigidus in Venerem senior, &

haud ſcio,an in Mineruam frigidior: Fruſtraq: laborem ingratum trahit: & ſi quando ad prælia ventum eſt, Vt quondã in ſtipulis magnus ſine viribus ignis, Incaſſum furit. Iure igitur, fortis ille equus ſpacio qui forte ſupremo, Vicit Olympia, nunc ſenio confectus quieſcit: Et ſane: Eſt mihi qui crebro purgatam perſonet aurẽ. Solue ſeneſcentem mature ſanus equum, ne Peccet ad extremum ridendus, & ilia ducat. Quod à Platonico Parmenide de Ibyci equo dictum noſter perbelle mutauit: Sed quid ago? Qui tam ſæpe dicendo maximos, & ampliſſimos hominum cœtus tenui: cuique iuueni perpetuæ orationis copiam, & eius quidem non omnino inornatæ, aut impolitæ ſatis large ſuppeditare putabant, Mecum viuebant qui homines atque æuum agitabant, ex alienis nunc verbis, & verſibus quaſi centonem con ſuo. An ipſum hoc non ſenile eſt? Quod .ſ. hebetior iam mens dicere aliquid volenti propria verba non ſuggerit, ne prorſus obmuteſcens, veſtram inſolentius illuſiſſe videar expectationem, alienis vti malui. Sed meis iam verbis, & iis quæ animis (opinor) & auribus æquiſſimis accipiatis: Optimi, & Optimarum literarum, atque artium ſtudioſiſſimi iuuenes, quæ in præſentia vobiſcum agam, hæc ſunt. Qua iam poſſum mentis, & oculorum acie, qua memoriæ, qua laterum, & vocis firmitate, veſtris ego vt ſtu

diis

diis inseruiam,& honestissimis obtemperem deside riis, sedulo operam dabo: & eam quæ mihi semel obtigit, Spartam (vt Græci dicunt) vel vt nostrates Christiani vocationem,ad extremum vsque vitæ spi ritum nunquam deseram: Neque omnino committam,vt qui adhuc steti,& partes meas non sine plausu egi: in extremo scholastici huius operis veluti fabulæ actu, tanquam iners histrio videar corruisse. Extremum vero hunc mihi actum fore, non magis augurari,quam ratiocinari possum. Nam si quauis ætatis suæ parte homo bulla est:& ipse bulla semper fui,& nunc maxime sum,sexagenario non multo minor,quam maior quinquagenario.Dabitis vero non grauate,nisi mea de vestra humanitate me fallit opinio, hanc mihi veniam: vt quemadmodum cantoribus iam senescentibus conceditur: vt remissiores faciant cantus: & ad senectutis requietem modos laxent:Sic mihi ut licitum sit,cotidie aliquid de pristinis contentionibus relaxare: vobis non remissiones modo, sed intermissiones si vsu euenerit,etiã meas boni consulentib.Nam & hæc senilis remissio(ni fal lor)nihilo erit, quam fuerit iis qui tũc me audierũt, mea quæuis iuuenilis contentio minus aut vtilis,aut iucunda: & intermissio vt nouati agri solent,largiores,& vberiores ex me fœtus vobis apportabit. Et quoniam hoc interpretandi munere ita sum perpe-

tuo

tuo functus, vt vnum ætati vestræ ex omnibus latinis auctoribus, tanquam dicendi, atque intelligendi magistrum optimum M. Tullium frequenter, & assidue proposuerim: eius profecto libros non ponam tam grandis iam natu de manibus: quos arcte sum adolescens amplexatus: quosq: integra ætate, cum iudicii maturitatem desiderare non debui, constantissime retinui. Esto igitur industriæ, & laboris mei idē M. Tullius clausula, qui fuit exordium, & progressus. Cumq: superius omne nostrum tempus iis maximi, & eloquentissimi viri libris prælegendis transmiserimus: quibus ille nobis apte, distincte, ornateq: dicendi partim præcepta, partim vero exempla reliquit: vel grauissimas siue cognitionis, siue actionis quæstiones pertractauit disertissime: & iam soli è superiore loco explicandi restent: quos summo ingenio exquisitaq: doctrina, de natura Deorum, de diuinatione, de fato conscripsit: in his & huiusce ipsius anni operam, & reliquorum deinceps (si qui mihi reliqui futuri sunt) operam consumamus. Atque huius quidem operis capessendi, hoc potissimum tempore sua mihi adesse visa est tempestiuitas. Nam cum interpreti cum eo cuius fuerit interpres, quam maximam conuenientiam esse oportere, & ratio ipsa nobis persuadeat: & diuinus Plato in Ione, qui est de furore poetico censuerit: Mihi Ciceronis interpreti

si non

ſi non optimo, at certe amantisſimo, & non indilige̅tisſimo, duabus ſaltem plurimum reb. cum Cicerone ipſo conueniet: Primum quod hoſce libros interpretari aggreſſus fuero, paucis annis natu minor, qua̅ ipſe fuit, cum eos ſcriberet: Deinde quod dubitare non poſſum, in illis me interpretandi finem factu ru̅, poſt quos, alios ipſe fato ſuo præoccupatus, nullos, aut omnino quampaucisſimos ſcripſit. Appoſitum vero ad conſilium hoc meum confirmandum, & illud fuit: quod cum liberalium diſciplinarum, atque artium, quæ vel Græcis, vel Latinis, tam ſacris quam profanis literis continentur, omne genus non prætereuntes tantum quaſi per tranſennam, ſtrictim aſpexerimus: ſed etiam donec oculi caligarunt, introſpexerimus: neque vllum paulo tolerabiliorem ſcriptorem non peruolutauerimus: in ea quæ de Diis immortalibus diſſeru̅tur, iam fide̅tius, & minus craſſa (vt aiunt) Minerua commentari poterimus: & reiectis, atque exploſis falſis, & ridiculis de tota diuinitatę opinionibus, quæ rationi, & veritati conſentanea ſunt, elicere, & conſectari. Non ea tamen ſum Auditores confidentia: vt rei magnitudine, & grauitate non deterrear: ac non perdifficiles, & vt ita dixerim ſcopuloſos obſcurisſimæ diſputationis locos non pertimeſcam. Sed ſalui vti ſpero, è mediis tam profundi pelagi periculis euademus: ſi ſummi nos ac ſempi-

ſempiterni Dei præſidio ſubleuari,& confirmari ſen ſerimus. Quare cum non niſi propitio,& fauente Deo idem diuinus Plato, & maximi quiq: ac ſapientisſimi ſacroſanctæ religionis auctores, res magnas & præclaras ſuſcipi,atq: attentari debere nos docuerint:ſinite obſecro me perbreui quidem,ſed pure caſteque nuncupata precatiuncula,ſenilibus iam exorſis meis,diuini numinis opem tanquam ſecundam auram,proſperoſque ſucceſſus implorare. Optime Deus,Maxime Deus, Qui vnus es Deus, Nempe à quo omnia,per quem omnia,ad quem referri neceſſe eſt omnia,Tu quoniam hanc mihi mentem dediſti, atq: inſpiraſti,vt ad hanc multo grauiorẽ, quam posſit virium mearum imbecillitas ſuſtinere, commentationem aggredi auſus fuerim:totã animi mei vim ad maieſtatis,& infinitatis tuæ contemplationẽ erige.Qui ſolus es via,errantem ſuſcipe,& ad te vnũ dirige greſſus meos. Tu inquam ſumme pater,qui ſolus es veritas, aſſenſionem meam à tot diſcrepantium opinionum disſidiis,& cæcutientium populorum,ac gẽtium ambagib.abſtrahe.Qui ſolus es lux, in denſisſimis tenebris errorum mihi offenſanti purisſimi,& clarisſimi ignis tui ſcintillam ſaltem aliquã exere: vt in lumine tuo lumen videam. Lucerna ſit pedibus meis verbum tuum,& lumen ſemitis meis. Qui ſolus perennis es,& viuus omnis intelligentiæ

fons

immensæ fons, eo me ſapientiæ tuæ hauſtu recrea: per quem effari liceat, quæ tibi accepta ſint: mihi meiſq: hiſce iuuenibus ſalutaria. Qui poſtremo ſolus es uita, tantiſper me è ſepulchro uitalis huius mortis noſtræ excita: Dum ad ea, ita uti eſt opus, intelligenda aſpiro: quæ de te diſerte quidem, & acute diſputata, ſine te tamen, neq: recte dici tunc potuerunt: neq: nunc ſine te niſi perperam poſſunt intelligi. Tu ſempiterne pater, qui filii tui Dei & hominis Domini noſtri uoce, iugum tuum ſuaue eſſe, & onus tuũ leue affirmaſti: mihi de te vno dicere, & ad te unum, quæ de pluribus Diis dici uidentur, referre meditanti, quæ ætas iam ingraueſcens duriora ac grauiora reddit: tu fac pater leuiora, ac molliora ut ſint. Ne proiicias me in tempore ſenectutis meæ: Cum defecerit me virtus mea, uſq: in ſenectutẽ, & ſenium Deus ne derelinquas me. Vos vero nobiliſſimi, atq: humaniſsimi iuuenes, in quorum erga me ſtudiis, & beneuolentia, quauis uitæ meæ parte plurimum mihi conquieſcendum duxi: adeſte æquis animis, & ſeniles conatus hoſce meos boni conſulite: Meam perpetuam, & conſtantiſsimam in ueſtris ingeniis excolendis, atq: ornandis curam, & aſsiduitatem, præſentia, ſilentio, & attentione ueſtra proſequimini.

FINIS.

ERRATA.

pag. 20	verſ. 20	inuiriis,lege iniuriis.
28	19	nomem,nomen.
45	1	ſatifacere,ſatisfacere.
46	7	deterriq:, deterreriq:.
48	16	emptus,ereptus.
50	24	iniuſta,inuſta.
51	24	adeoi,adeo.
ibid.	25	potut,potuit.
52	13	graue,graues.
55	3	quam uis,quanuis.
ibid.	12	iUi,ille.
	17	potuerent,potuerunt.
59	1	ruent es,ruentes.
72	16	ſatisfeeeris,ſatisfeceris.
81	3	beneuolentiam.beneuolentiam:
91	3	dumtaxat,duntaxat.
94	3	litterarum,literarum.
	21	llberationis,liberationis.
104	22	publice,publicæ.
106	7	diſipiens,deſipiens.
107	12	illuuiæ,illuuie.
114	10	acceſsiſſe:acceſsiſſe?
117	9	imitationis,mutationis.
128	18	eas ad nos artis,eas artis.
130	18	fecunditatis,fœcunditatis.
140	14	ſubſellis,ſubſelliis.
144	17	linquæ,linguæ.
150	2	Muſarum templa, Muſarum domicilia.
	18	ualitudo,ualetudo.
157	14	Paudectæ,Pandectæ.
160	2	inteligi, intelligi.
162	23	ſuppelectilem,ſupellectilem.

164	17	adhorrent,abhorrent.
167	20	omnes.omnes?
171	18	preceptor,præceptor.
175	19	perpetuo non ſit,perpetuo ſit.
ibid.		fluctuandum.fluctuandum?
193	23	conſulitur?conſul itur.
202	17	quotanuis,quotannis.
213	2	quanq:, quanquam.
	19	nonunquam,nonnunquam.
216	15	maturæ,mature.
219	20	eque,æque.
221	26	manus,munus.
222	18	ueſtræ,ueſtra.
253	3	ſorte,forte.
263	26	ſolemnibus, ſolennibus.
264	3	cotidinarum,cotidianarum.
265	12	cœlem,celem.
266	26	huius ac laboris mei muneris,hu ius laboris ac muneris mei.
269	6	diſcendi,dicendi.
	16	ſuæ,ſui.
270	5	per acerba,peracerba.
	23	ſuperuanei,ſuperuacanei.
272	18	accommodate, accommodatæ.
284	19	meæq:, meaq..
287	13	grandi,grandem.
288	10	omĩa,omnia.
	21	commitendum, committendum.
296	26	ſuccepi,ſuſcepi.
305	26	maturus æquum, mature ſanus e- quum.
314	10	ſummæ,ſumme.
	13	meritorom,meritorum.
315	18	uehementes,uehementer.
317	9	quibuſquæ,quibuſque.

Reperies forſan amice Lector & alios huiuſmodi errores, qui facile tam exiles, literulæ tantummodo unius, punctiue aut ſpatii uitio, impreſsionem caſtigantium oculos præteruolarint: leuiſsimos tamen: quod iis uel non animaduerſis, minime legentis mens perturbetur, locus ue aliter atq: intelligi debeat, intelligatur: uel depræhenſis, nullo negocio uera lectio reſtitui poſsit.

Vbi ex Latinæ ueteris linguæ uſu Deorum Dearumue mentio fit, ut ueritas, Chriſtianaq: iubet lex, dicendi formulam ad ſingularẽ numerum redige Nanq: unus idemq: Trinus eſt DEVS.

Hoc uolumen impreſſum eſt, habita prius facultate, & authoritate Reuerendi D. D. Leonis Leonorii Canonici, & Generalis Vicarii Bonon.

Ego F. Vincentius Bononienſis Vicarius R. Inquiſitoris concedo. XVIII. *orationes D. Romuli Amaſæi per me uiſas, & examinatas imprimi.*